JACOBI PATRIARCHÆ

DE

SHILOH

VATICINIUM,

A depravatione

Johannis Clerici,

In Pentateuchum Commentatoris,

Assertum Opera & Studio

SEBASTIANI EDZARDI.

ACCEDIT

Ejusdem Dissertatio de nomine *ELOHIM*, Auctori Judicii de R. Simonii Historia V. Test. Critica oppositа.

LONDINI,

Prostant venales apud T. Bennet ad Insigne Lunæ Dimidiatæ in Cœmeterio D. Pauli 1698.

TRINITY COLLEGE
LIBRARY
CAMBRIDGE

I. N. D. J.

I.

SAnctiſſimus Patriarcha Jacobus vitam inter plurimas calamitates conſumſit. Adoleſcenti Eſavus ſtimulis vindictæ actus mortem minabatur, unde relinquenda paterna domus, & moleſto itinere, in quo lapis pro cervicali erat, Meſopotamia petenda. Apud Labanum commoranti non ſolum graviſſimi labores, æſtus interdiu, noctu frigus, ſed &, quod durius, iniquiſſimi hoſpitis injuriæ ferendæ, quas tamen patientia & virtute prudenter ſuperavit. Uxorum lites & querimoniæ augebant moleſtias, faciebantque, ut animum novis ſubinde curis maceraret. Ad cariſſimum Parentem domum reverſuro ingens imminebat periculum, ne partas totannis opes, conjuges, liberos omnes unicus dies interciperet, & eventum triſtiſſimum non nuncius ex clade ſuperſtes, ſed ex ſermone rumor ad Iſaaci aures afferret. Mox vis filiæ per ſummam injuriam allata ægritudine quaſi tempeſtate concuſſit, quam cum filii tollere, aut ſedare, aut quam plurimum detrahendo ſupprimere, nec manare longius pati

debuiſſent, auxit acerbiſſimum dolorem Simeonis & Levi crudelitas, dum barbari hominis ſcelus immaniſſimo facinore ulciſcebantur. Porro temeratus à Rubene liberorum natu maximo torus, nepotum impietas, Judæ inceſtus eo magis pii ſenis animum excruciabant, quo majori cum probro inter gentes profano Idolorum cultui deditas conjuncta erant. Qui præter cæteros ſe Parenti morigerum in rebus omnibus præſtabat, triſtitiamque temporum conſuetudine ſua, & virtutum exemplis ſolabatur, hunc fratres odio proſequi, afficere injuriis, tandem vendere Iſmaelitis, & intinctam ſanguini tunicam Parenti mittere, quaſi feræ dentibus diſcerptus eſſet, quo ipſi quavis fera truculentiores Jacobum orbaverant. Poſtea Simeone in Ægypto cuſtodiæ tradito, Benjamin quoque in diſcrimine verſari videbatur, cogente annonæ penuria, ut eum cum reliquis filiis ſe in viam dare pateretur. Cum vivere Joſephum, & agere ex animi ſententia, & toti Ægyto dominari præter omnem ſpem & exſpectationem cognoviſſet, vidit quidem & complexus eſt filium, quem ſe unquam recepturum prorſus deſperaverat: ſumma tamen ſenectus, quæ ipſa morbus eſſe ſolet, & inde paulatim debilitata oculorum acies maximis incommodis moleſtiiſque carere non poterat. Poſtremo exhauſtis viribus decretoria venit hora, & mors, quæ non poteſt non naturam horrore commovere, fuit obeunda.

II. Jam ſi quæramus, cujus rei cogitatione ſanctiſſimus Vir tot calamitates, miſerias, ærumnas leniverit, eam nos edocent Divini ſcriptores & ita edocent, ut nullis tenebris obrui aut obſcurari queat. Nimirum non animum demittebat ad res terrenas, non eas ſummo ſtudio conſectabatur, cuippe, qui optime cognitum habebat & perſpectum, nullum ſe ex iis verum ſolidum & perpetuo duraturum gaudium nanciſci poſſe. Hoſpitem ſe in mundo eſſe noverat & peregrinum, patriam vero quærebat cœleſtem, urbem, quam piis paravit Deus. Gen. XLVII. 9. Heb. XI. 13. Eo cum ſe perventurum ſperaret, haud actâ ſanctiſſime vitâ nitebatur, nec ſuis virtutibus cœlum deberi ſtatuebat, de ſe ipſo, ita ut par erat ſentiens, & *imparem ſe vel illi Divino beneficio libentiſſime profiſſus, quod olim Jordanem cum baculo tranſiens, poſtea duo agmina haberet.* Gen. 32. 11. Promiſerat autem Deus primis parentibus, *ſemen mulieris caput ſerpentis conculcaturum*, Gen. 3. 15. promiſerat Abrahamo, & Iſaaco, *ex eorum poſteris proditurum in quo benedicerentur omnes gentes.* C 12. 3. C. 18. 17. 22. 18. Cap. 26. 4 In hoc igitur omnem ſpem fiduciamque collocabat: qui DEUS & HOMO rem viribus humanis multo majorem perfecturus eſſet, ut pœnas, quas totum humanum genus peccatis meritum erat, perferret unus, ut Satanam vinceret, ut cœli portas, quæ propter hominum crimina occluſæ fuerant, reſeraret, atque aperiret. Colloquutum cum Viro & colluctatum Moſes adducto modo 32. capite, commemorat, Eum-

que fuiſſe Dei Filium, qui olim humanam naturam aſſumpturus erat, haud difficulter oſtendi poteſt. Hoc adeo in omnibus, quibus premebatur malis, perfugium habuit: hujus cogitatione firmavit animum, certo perſuaſus, condonata ſibi propter Meſſiam olim naſcituram peccata, & patere cœleſtem patriam, qua sine ulla mora, abſoluta peregrinatione, frueretur. Unde nec mortem magnopere timuit & formidavit; ſed ſenectute morboque confectus totum ſe ad ejus rei meditationem compoſuit: ut ſubinde verbis exprimeret, quæ pia verſabat mente. Joſephi filiis Ephraimo & Manaſſi bene precaturus invocat Angelum *Goelem*, cujus beneficio *ab omnibus malis* (adverte animum lector, omnia mala cum commemorat, nec peccata, quorum conſcientia tenebatur, nec æternam mortem excluſam vult!) liberetur. המלאך הגואל *ANGELUS ILLE (REDEMPTOR,) qui redemit me ab omni malo, benedicat pueris, ut vocetur in iis nomen meum, & nomen patrum meorum Abrahami & Iizchaki, & tanquam piſces creſcant in multitudinem in medio terræ.* Gen. 49. 16. Cum ea, quæ poſt tot ſecula eventura erant, filiis convocatis prædicit, non ſolum in medio orationis curſu ad Deum converſus mittendum ab eo ſervatorem magna fiducia complectitur, ſed & luculentum de tempore Divinitus adventui Liberatoris deſtinato vaticinium proponit dum *non ante, quam SHILOH adveniſſet, ſceptrum & Legiſlatorem à Juda auferendum*, ſignificantiſſimis verbis pollicetur.

III. Inde

III. Inde valentiſſimum Chriſtianis argumentum naſcitur, quo Judæos, Chriſtianæ religionis acerbiſſimos hoſtes, oppugnent, vincant, debellent. Nullus hodie Rex Judæis, nullus Princeps, nulla leges ferendi poteſtas, nulla Reipublicæ ſpecies vel umbra ſupereſt. Non diſputatione prolixa, non ſubtilibus & acutis concluſionibus res indiget, quæ in clariſſima luce, & in oculis omnium gentium nationumque verſatur. Proferant Judæi ſceptrum, ſi quod habent, producant latores legum, ſi forte in obſcuro quodam angulo latent; oſtendant nobis, ſi cauſam propugnare, tueri, vincere cupiunt. Id autem ſi facere non poſſunt, vel potius per tot ſæcula facere non potuere, quid amplius reſtat, quam ut vel ſanctiſſimum Patriarcham erroris & mendacii inſimulent, vel adveniſſe jam diu Meſſiam & à ſe fruſtra expectari fateantur.

IV. Quo magis miror, JOHANNEM CLERICUM, qui pauciſſimos ante annos in Pentateuchum commentatus eſt, Judæorum patrocinium hac in parte ſuſcepiſſe. Ita enim in enarrando Jacobi de SHILOH vaticinio verſatus fuit, ut quicquid laboris impendi poterat, non ad confirmandam, corroborandamque veritatem, ſed ad deſtruendam & diruendam conferret. Leve & infirmum argumentum putat, & quod ad Judæos refellendos parum habeat momenti. Variis implicari difficultatibus, qui vocabulum Shiloh de Meſſia interpretentur, cætera quoque vaticinii hujus vocabula ambigua & obſcura eſſe, paratumque Judæis perfugium præbere. Primo,

mo, quem Operi ſubjecit, indice, (nam ipſam enarrationem ad examen revocabo infra), mentem ſuam verbis ſequentibus exponit. שילה *variæ hujus vocis interpretationes*, Gen. 49. 10. *Conjecturam protulimus, qua oſtendimus poſſe verti, finis ejus, quam tamen nemini obtrudere voluimus. Quod diximus in aliis difficultates eſſe, id negari non poteſt, niſi ab iis, qui neſciant, interpretes ſe invicem non malè confutare, & ingentem eſſe ſententiarum varietatem. Quod cum ita ſit, fateor, me non capere, quis tantus eſſe poſſit ejus uſus contra Judæos, qui merito petent, quam ſententiam velimus eos ſequi inter tot & tam diſſimiles. Sunt alia invicta argumenta quibus eos urgeamus, ex ipſo Moſe petita. Vide quæ notavimus ad* Deut. 18. 15. *Nec certe loco* Gen. 49. *uſquam uſi ſunt Chriſtus aut Apoſtóli.*

At Paraphraſtæ Chaldæi hunc locum referunt ad Meſſiam, & Judæi eorum Paraphraſtarum auctoritatem magnifaciunt. Itaque iis hæc objici poteſt, adeoque is locus contra eos urgeri. Per me licet: ſed non multum proficiunt, qui ita contra Judæos argumentantur, quia quamvis voce שילה *Meſſiam ſignari conſiteantur, in ambiguitate reliquarum vocum latibula ſibi quærunt, ex quibus eos ejicere interpretes noſtri non poſſunt, quandoquidem, quod hic probat, illi diſplicet.*

Objicientur forte Judæi Chriſtianam religionem, ob id oraculum, ut ajunt, amplexi; ſed acceſſerant ſine dubio alia argumenta ex reſurrectione, miraculiſque Chriſti & Apoſtolorum ducta, quæ majoris fuerant ponderis. Hæc vero, ſi quis Judæus Pſeudo Chriſtianus elevet, ut extollat vim obſcurorum

ſcurorum vaticiniorum, is certe aſtutam vapido ſervat ſub pectore vulpem : & nobis fucum facit.

V. Sed ſalva res eſt. Nihil adhuc ſolidi Judæi reperire potuerunt, quod Chriſtianis ex luculentiſſimo Jacobi teſtimonio argumentantibus objicerent. Nec mala & deſperata jamdiu cauſſa Clerici patrocinio major erit. Ne quid gravius dicam, leviſſima ſunt, & omni pondere deſtituta, quibus infirmius eſſe noſtratium argumentum probare annititur, ac ea prorſus, ut veritas illatam ſibi injuriam ſatis ulta videatur. Sententiarum varietate nos urget, hanc putat obſtare, quo minus Judæos feliciter & tuto ſanctiſſimi Patriarchæ dicto oppugnemus. Enimvero, ſi ſententiarum varietas ea, quæ certa, firma & ſolida ſunt, infirma incertaque reddere poteſt, quid certi amplius conſtituti comprehenſique habebimus ? Nihil veritati magis adverſarium eſſe poteſt, quam in omnibus iis rebus ſemper dubitandum fluctuandumque, de quibus diverſis ſtudiis ab eruditis certatur. Accuratiſſimis ſcriptoribus in more poſitum novimus, varias doctorum opiniones afferre, allatas confutare, qui ſane minus recte ſibi conſulerent, & abuterentur opera, ſi deſperandum de invenienda tuendaque veritate foret, quotieſcunque Viri docti magna in varietate verſantur. Quid frequentius in Clerici Commentariis, quam longo ordine recenſeri, & quaſi dinumerari eruditorum ſententias : num ergo in omnibus iſtis locis nihil à ſe cognitum, nihil perceptum dicet ? Haud raro quidem ignoratio-

nem

nem profitetur, & hoc ſolum ſe ſcire admonet, quod nihil certo ſciri & conſtitui poſſit: ſæpe tamen ex plurimis aliorum opinionibus unam ſeligere, ſæpe repudiatis omnibus novam proferre non veretur. Qui vero exquirendo dat operam, hunc cohibere temeritatem, & aſſenſionem ſuſtinere decet, donec certis firmiſque argumentis fides fiat: quæ ſi repererit, non ad aliorum auctoritatem ſe conferat, non aliorum diſſenſione moveatur. Quod cum ſemper ſtudioſe diligenterque ſit cavendum: imprimis tamen tum vitari debet, quando de rebus divinis, de vaticiniis, quibus Chriſtianæ religionis capita confirmantur, quæſtio eſt: ne perpetuo dubitemus ac hæſitemus, & omni falſarum opinionum vento nos circumagi patiamur. Proinde diſſideant interpretes, diſputent: conentur Judæi clariſſimo Jacobi de Meſſiæ adventu teſtimonio tenebras obducere: conquirant undique Divini Spiritus verba diſtorquendi modos, confingant novas depravandi rationes, accedant & alii, opem ferant Judæis, exerceant ingenium, quærant nodum in ſcirpo: num propterea tam clarum tam ſolidum abjiciemus argumentum, aut oculos nobis eruemus, eo quod alii vel nullos habuerint, vel ſi habuerunt, eruerint? Abſit, tam imprudens & perniciosum conſilium!

VI. Sed ut Cl. Vir eo magis conſtringatur, operæ pretium erit ſigillatim oſtendere, quod ſententiarum varietas nobis fraudi eſſe non poſſit. Id priori loco de Judæis; poſteriori de Chriſtianis demonſtrabo. Judæos peſſimæ cauſæ

cauſæ ſervire admirationem non habet. Hoſtes ſunt Chriſtianæ religionis, verum rejecerunt Meſſiam, & adhuc repudiant, paratiſſimi ad recipiendos illos, qui ſe Liberatores à Deo miſſos impudentiſſime mentiuntur. Vident autem, urgeri ſe præclariſſimo Jacobi vaticinio: vident Chriſtianos vel eo ſolo, (ut de aliis longe plurimis jam nihil dicam) toties victoriam reportare. Male hoc eos habet: dolent gladium tam acutum in Chriſtianorum manibus eſſe, eumque nobis excutere aut extorquere miſere cupiunt. Si confictis ratiunculis à nobis impetrare poſſent, ut crederemus inutilem, ut volenti animo abjiceremus, haberent ſane, de quo gauderent in ſinu. At viri fortes nec blanditiis nec minis hoſtium ad arma deponenda ſe adduci patiuntur. Illa, quibus maxime irritari vident, quam conſtantiſſime ſervant, eo quod argumento ſit, iis grave detrimentum cauſæ hoſtium inferri. Porro quid quæſo ſubeſt cauſæ, quod Judæi tam varie Jacobi verba accipiant, quod in partes tam diverſas tot flexibus inſtar anguium torqueantur? Nonne, quia tantis implicantur difficultatibus, unde ſe expedire fruſtra annituntur? Captivorum eſt varias rimas & foramina circumſpicere, ut inveniant occaſionem elabendi. Cum Judæi hoſtibus obviam procederent, una exibant via: at ſeptem viis, ut Moſes loquitur, eos fugiebant, cum commiſſo prælio infelici, & ingenti clade acceptâ terga vertiſſent. Sic & hodie, ubi valentiſſimis illos argumentis oppugnamus, retunduntur, rediguntur, ut quo ſe vertant, neſciant, & modo

hanc

hanc modo illam elabendi viam tentent. Si forte Rabbinorum aliquis latebram ſe reperiſſe putet, in qua deliteſcat, minus tuta alii videtur. Ergo novam quærit: ſed eventu non minus infelici. Succedit tertius, & fruſtraneos antecedentium conatus videt, potius tamen, quam veritatem amplectatur, adhuc aliam circumſpicit latebram, ex qua tamen facili negotio ſe ejectum iri procul omni dubio agnoſceret, niſi immoderato ſui amore præpediretur. Ubi tandem ad ſatis magnum numerum excrevere, novum fugæ impedimentum naſcitur, dum conſtituere nequeunt, quonam ſe recipere & abdere velint. Manaſſe Ben Iſrael *Conciliatore* quæſt. 65. in Geneſ. p. 88. ſeqq. de loco, qui nunc à Johanne Clerico in controverſiam adductus eſt, commentans, undecim interpretationes ex Magiſtrorum ſcriptis in medium profert. Quid autem tanto labore & apparatu proficitur? Audiamus. *Ut ut eſt* inquit, *ſeu hanc* (nimirum quam ultimo loco expoſuerat,) *ſeu quam ex aliis expoſitionibus amplectaris, difficultas ſublata eſt: neque enim Patriarcha promittit ſemper eos regem habituros, cum nunc in captivitate eo deſtituantur: ſed illud accipiendum eſt uno ex illis, quos diximus modis. Non ignoro aliis alias expoſitiones placuiſſe; ſed mihi hæc ſufficere videntur: poterunt doctiores eligere, quam maxime veram judicabunt.* Miſerum vero, & rectius ſentientium miſericordià dignum, qui ſcripta Manaſſis adit, ut inde quid ſibi verba Patriarchæ velint, addiſcat. Incertior ſane erit quam ante. Undecim

decim afferuntur interpretationes: cum jam pendet animi lector, cum cognoscere cupit, quænam ergo Jacobi sententia fuerit, hoc accipit responsi: *plures adhuc aliorum expositiones superesse, cæterum ex undecim allatis eligendam, quæ ad veritatem quam maxime accedere videatur.* Fecit probe! Hoc ipsius erat officii, ut edoceret lectorem, quænam verissima esset, ac reliquis præferri mereretur. Laudare omnes, omnes refellere est; cum sibi invicem apertissime repugnent. Fallitur Imperator, qui militum numero se valere putat, si in mutua viscera sæviant si telis quæ in hostem immitti oportebat, se mutuo aggrediantur conficiantque. Oblectabit se hostis jucundo spectaculo, & vel sine pugna aut labore victoriâ potietur. Unde facile intelligitur, quam vana Manassis gloriatio, *sublatam difficultatem*, quæ non sublata est, sed aucta. Et quam futilis ratio est, unde Manasses repetit plurimum præsidii, *Judæos Jacobi testimonio oppugnari non posse, non enim Patriarcham promittere, semper eos regem habituros, cum nunc in captivitate eo destituantur?* Quis enim Christianorum asserit, polliceri Jacobum, Judæos perpetuo sceptro & legislatoribus gavisuros? quis unquam eo ursit Judæos? cujus animum vel subiit ea cogitatio, vel etiam transvolavit? Illud prædixit Jacobus, & Christiani Judæis auctoritate Jacobi opponunt, *non ante sceptrum & Legislatorem à Juda auferendum, quam venisset Messias.* Quod Manasses eo nunc in captivitate suos destitui admonet, id è re nostra, non ipsius est. Hic enim est nodus, quem nec solvere possunt

Judæi

Judæi, nec ſecare, hinc illud pro adventu Meſſiæ argumentum fluit, quod adverſarios tantopere excercet. Pluribus hæc explicare nolo: Satis jam conſtat, & liquido apparet, interpretationum, quas Judæi afferunt, varietatem noſtratibus non tantum non obſtare, verum etiam Judæis objici & opponi poſſe.

VII. Quod ad Chriſtianos attinet, omnis res iterum eſt in vado. Non trahuntur in varias partes, non digladiantur interpretes, ſed communi ſtudio Judæos præclariſſimis Patriarchæ verbis oppugnant. Wilhelmum Langium, quem jam Calovius *Bibliis illuſtratis* confutavit, aut ſiquis forte alius Judæorum Patronus in tenebris obſcurus latet, non magis moramur, quam fidi milites perfidos transfugas, qui hoſtibus ſe junxere, ſolent. Nec Clericus eorum rationem habet, *Chriſtiani interpretes*, inquit notis ad Gen. XLIX, 10. num. II. p. 302. b. med. *poſt Judæos ſummo conſenſu hic aliquid promitti aut Tribui Judæ, aut toti populo Hebræo, quod adventu Meſſiæ aut paulo poſt finem habiturum eſſet, ſtatuunt.* Conſtant igitur ſibi, & de eo mente ac voce unâ conſentiunt, ex ſanctiſſimi Patriarchæ verbis accurate firmiterque probari poſſe, quod Meſſias, jam diu advenerit, & fruſtra à Judæis exſpectetur. Nam ſicut ex ipſius Clerici confeſſione patet, non urbem Shiloh, non tabernaculum ejus, non Moſen, non Achijam Shilonitam, non alium quendam, ſed ſolum Meſſiam totius generis humani Liberatorem intelligi ſtatuunt: non Jacobum Judæis calamitatem perpetuam minari, ſed læti quid *promittere* & polliceri docent: non inſigne, cujus Patriarcha

ſpem

ſpem certiſſimam fecit, bonum, perpetuo, ſed uſq; ad Meſſiæ adventum, aut ei paulo poſt ſucceſſura tempora duraturum confirmant. Proinde nec vocem שבט aliter interpretari, quam ut vel *ſceptrum* vel *tribum* denotet nec denique vocabulum מחקק in minus commodam inſtituto noſtro ſignificationem abripere poterunt. Quid commodi igitur, Judæi ex Chriſtianorum interpretum diſſenſu nanciſcentur? Sic enim omnes luculentiſſimum vaticinium explicant, ut adverſarii firmisſime conſtringantur. Si שבט *ſceptrum* deſignet, oportet adveniſſe Meſſiam, cum penes eos nulla Reipublicæ ſpecies per tot ſecula fuerit. Sin *tribum* denotet, iterum habemus quod volumus, cum Judæorum Reſpublica per Romanos everſa, ſublata, deleta, nulli familiarum indices ſuperſint, nec quisquam in hac gente certo ſcire, luculenterque demonſtrare queat, ex quanam tribu originem traxerit. Equidem fateor, de vocabulo שילה diſputari, nec omnes amplecti eandem ſententiam. Sunt qui à radice שלה deducant, ſunt qui ex cognata, ſi ſonum ſpectes, voce, ובשליתה: Deut. XXII. 56. explicent, ſunt qui pro שלו poſitum exiſtiment, ſunt etiam, qui adhuc alias interpretationes quærant. Itaque finge, (nam rem ſecus ſe habere infra demonſtrabo,) latere nos proximam verbi ſignificationem, nec accurate oſtendi poſſe: ſua tamen vis argumento manet, ſi illud planum Judæo fiat, ad nullum alium quam ad Meſſiam referendum, quacunque demum ratione explicetur. De quo ſi quis dubitet, totum 49. capitis comma 10. ponderet momento ſuo, & cum aliis Divinioris

ſcrip-

ſcripturæ de Meſſia vaticiniis componat, nec ullus ſupererit ſcrupulus. Atque tanto magis argumentorum pondere adverſarii prementur, quod celeberrimi Judæorum Magiſt. non tantum Shiloh Meſſiam eſſe aperte fateantur, ſed & eaſdem, quæ à Chriſtianis afferantur, vocabuli ſignificationes ſcriptis conſignatas reliquerint.

VIII. Occurret procul dubio Clericus, & in id ipſum me indui, quo Manaſſem irretiri antea dixeram, urgebit. Si variæ, quæ à noſtratibus proferantur, vocabuli שילה ſignificationes Chriſtianis fraudi non ſint, nec Manaſſem maxima ſententiarum varietate urgeri debuiſſe. Si Chriſtianis ſufficiat, voce שילה quæcunq; etiam ex modo allatis derivandi ratio capiatur, Meſſiam denotari, & eo illuſtris vaticinii ſenſum redire, quod Judæi non ante Meſſiæ adventum ſceptro & leges ferendi poteſtate privari debuerint: Manaſſi quoque ſufficere, quod omnes, quas Lectoribus ſuis propoſuit, interpretationes eo tendant, nihil ejuſmodi à Jacobo promitti. Quicquid à me reſpondeatur, id à Manaſſe reſponderi potuiſſe. Proinde vel ruere argumentum, quod Judæo objeceram, vel eadem me difficultate implicari. Verumenim vero longe diverſa rerum facies eſt, & illa, quæ proxime præcedenti paragrapho dicta ſunt, toto cœlo ab iis diſtant, quæ Manaſſes diſputavit. Non enim ſicut Manaſſi diverſim trahitur animus, imo nec in dubium incertumque revoco, quidnam שילה proxima ſignificatione notet, ac undenam deſcendat: ſatis de eo conſtat, imo res faciles habet ex-

explicatus ut poſtea oſtendetur. Ex hypotheſi contra Clericum diſſero: vocabulum שִׁי obſcurum tenebriſque obrutum non concedo, ſed pono, ut tanto magis appareat, in quam infirmis rationibus innitatur, quæ pluribus modis repelli queant. Deinde conſiderentur diſtortionum genera, quæ Manaſſes tanto labore conquiſivit. Nullum ferme vocabulum ſupereſt, quod non in omnes flectatur formas. Meſſias vaticinio reſpici dicitur, mox negatur iterum & locus ad Moſen, Davidem, Achijam Shilonitam alioſque detorquetur; modo perpetua Judæis poſt adventum Meſſiæ dominatio promitti, modo gravis nec niſi Meſſiæ adventu dirumpenda malorum & injuriarum catena oſtendi fingitur, hæc qui ad totum vaticinii ſcopum pertinere non viderit is nihil videt. Quapropter perperam omnino lector in portentoſum labyrinthum deducitur, nullo judicii filo addito, cujus ope ex itinere tam flexuoſo emergens ſimplex repetat & directum. Sit vero dubia vocabuli שִׁי derivatio, modo id certum maneat, & manifeſtum, nullum alium reſpici, quam Meſſiam! Num propterea ſummæ rei quicquam decedet? num totus Patriarchæ ſcopus inexplicabilis videbitur, qui tam perſpicuus eſt, ut de eo nullo jure vel ſubdubitari queat? Nonne nihilominus nullo negotio intelligitur, hoc ſibi voluiſſe Jacobum, quod tribus Juda *non ante Meſſiæ adventum ſceptrum & leges ferendi poteſtatem perditura eſſet.*

IX. Ex quibus jam ſatis perſpicitur, quid Judæis reſponderi oporteat, ſi cum Clerico quærant, *quam ſententiam eos inter tot & tam diſſimiles ſequi velimus.* Videamus autem, ad quas anguſtias Auctor redigatur, dum peſſimæ cauſæ patrocinium ſuſcipit. Nam ſi hæc explorata ratio eſt ad repellendum valentiſſimum contra Judæos argumentum, habebit Atheus, quo omnem ſanctitatem, religionem, pietatemque confutet. Fruſtra ſe moneri dicet, ut illum dominatorem rerum, præſentem atque præpotentem Deum, pura mente, & voce veneretur. Maximam eſſe de re maxima diſſenſionem: Aliam cultus rationem Chriſtianis, aliam Judæis, aliam Muhammedanis, aliam Ethnicis probari: merito ſe petere, *quam ſententiam inter tot & tam diſſimiles ſequi debeat*: denique nullam ſe religionem amplecti malle, quam tantum laboris & operæ in vero cultu á falſis dijudicando & diſtinguendo conſumere. Iis, quibus Chriſtus ex Maria virgine naſcebatur temporibus Judæi varias in partes rapiebantur. Nemo ignorat Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſenorum ſectas; quibus tum pii & ex Veterum Prophetarum vaticiniis de ſummis fidei capitibus recte ſentientes circumfundebantur. Non pauci tamen Ethnicorum repudiato profano idolorum cultu ſacra Judæorum ſuſcipiebant. Quod ſi interrogatio Clerici tanti eſſet, ut eâ circumſcriptis luculentiſſimum Jacobi vaticinium deſerendum foret, inveniſſent etiam præſidium Ethnici, quo ſe contra Judæos tuerentur, uti potuiſſent Clerici verbis: potuiſſent quærere ex Judæis, quorum

parti-

partibus se adjungere, *quorum sententiam inter tot & tam dissimiles suam facere deberent*? Cur non universim contra Judæos liceret disputare, qui inter se ipsos disceptarent? Immo etiam hodie Ethnicis, Judæis, Turcis, Socinianis, (hos enim ut pote SS. Trinitatis & meriti Christi longe acerbissimos hostes indignos Christiano nomine, nec Turcis, à quibus se parum distare ante annos non adeo multos Claudiopoli Transylvaniæ professi sunt, meliores arbitror)in promtu foret responsio, qua Christianis resisterent. In contraria studia scindi Christianos, & de gravissimis ac adsalutem pertinentibus rebus inter se pugnare: Cum quibus igitur se religionis societatem inire vellent cuperentne Pontificiis forte, an Calvinianis, an Lutheranis an adhuc aliis copulari? Quis credat, præconcepisse animo Clericum, quo vaderet vel rueret potius illa argumentatio,qua ad oppugnandum Jacobi vaticinium utitur, & quis tamen non intelligat, facile præconcipi potuisse? At vero, cum errores non veritatem tueri certum est, cum id summis agitur viribus, ut firmissima pro Christiana religione argumenta labefactata corruant, (quæ tamen perstant, & invitis omnibus perpetuo perstabunt) nil videt animus nisi quod lubet. Hæc est fundi calamitas: hinc falsa falsis, perversa perversis cumulantur: hinc omnia prout oblata sine delectu corraduntur atque convasantur.

X. Sed progrediendum ulterius est, & quam vim sequens habeat conclusio, dispiciendum. *Auctor* parum interesse censet, sive ad Messiam

ſive aliorſum ſpectet Sanctiſſimi Patriarchæ vaticinium. Nihil decedere cauſæ Chriſti, quamvis hoc propugnaculo cedamus. Habere nos argumenta alia, minus obſcura, magis firma. Poſſe nos Moſis teſtimonio, quod Deut. 18. 15. conſignatum eſt, Judæos refellere & convincere. Sane non maximis tantum, ſed & quam plurimis argumentis religio Chriſtiana confirmatur. Si contra Judæos diſſeras, nunquam Moſis & Prophetarum teſtimonia deerunt: Id ſolum ancipitem cogitandi curam habebit, quodnam primo loco ex tanta copia proferre velis. Perperam vero inde collegeris, levem vaticinii, de quo nunc cum Clerico controverſia mihi intercedit, jacturam fore: nec ferendum graviter, ſi quis id nobis eripere conetur: Etenim non pauperibus tantum ſed & divitibus ſua auferre nefas eſt: Regum diademata multis maximi pretii gemmis margaritiſque ſolent diſtingui: harum ſi vel unam ipſimet abjiciant, levitatis, ſin vendant, inopiæ ſignum eſt: Quod ſi quis tantum ſibi ſumat audaciæ, ut ex inſigni Regio vel minimum unionem invito inſcioque Rege detrahat: graviſſimas dabit temeritatis pœnas. Hungaria multis propugnaculis contra irruptiones Barbarorum cingitur. Quis autem propterea Chriſtianis auctor eſſet, ut Magno Varadino aut alia probe communita urbe ſcientes volenteſque Turcis cederent? niſi omnium odium tanquam proditor, & contemtum velut ridicule abſurdus ac ineptus vellet incurrere? Jam ut hæc ad allatam modo concluſionem accommodem, ſalutaris de Chriſto doctrina cun-

ctis, qui Christi nomen profitentur, maximis thesauris & pretiosissimis diadematibus potior est. Singula Mosis & Prophetarum de Christo vaticinia quosvis uniones gemmasq; pretio superant: nullum hic leve dammum, nulla parvi momenti jactura censeri debet. Cum divini V. T. Scriptores Christo servatori subinde testimonium perhibent, innumerabilibus quasi propugnaculis nostram religionem muniunt, ut nullis incursionibus hostium pateat. Pedem referre, excedere loco, & vel minimum deserere propugnaculum neutiquam Christianos decet: standum potius fortiter est, ac repellendi hostes, ne cum summo dedecore nostro gloriandi prætextum nanciscantur. Quod optimæ causæ longe plurimis argumentis contra Judæos adesse possumus, id divinæ benignirati acceptum ferre par est, qui præclarissima de servatore Christo promissa toties V. T. Scriptis tradi, exponi, illustrari voluit. Tanti muneris ullam partem vilipendere, repudiare, repellere ingratorum foret.

XI. Illi, quos Patrum nomine solemus appellare; magna argumentorum copia instructi erant, ad Arianos, qui Christum summum & æternum Deum esse pernegabant, confutandos: Hisce etiam feliciter urgebant adversarios, ut nihil regeri ab iis posset, quod falsum, fictum, ineptumque ab omnibus rem sine partium studio perpendentibus non intelligeretur. Fingamus vero, ab homine veram de Christo DEO doctrinam profesto id datum fuisse consilii, ne amplius Johannis de VERBO DEI, vel etiam Pauli de JESU CHRISTO MAGNO DEO & SERVATORE pronun-

tiato ad Arii, & Eunomii ſectatores refellendos uterentur. In promtu eſſe alia ſcripturæ dicta : hæc ſufficere, nec nos adductis Pauli & Johannis teſtimoniis ad bonam cauſam tuendam indigere. Quale quæſo conſilium illud viſum Patribus fuiſſet? dignumne quod acciperent,& ſequerentur, an potius, tale quod à nullo ſine graviſſima commotione animi & indignatione audiri poſſet? Nam quod argumentum ex Pauli verbis (προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ Tit.2.13.)deſumtum elevari ab Ambroſio pugnant: id fruſtra faciunt. Commentarius, ad quem provocant, Ambroſii quidem nomen præfert: at parum verba valent, ubi res ipſa verbis abrogat fidem, Qui Germana Viri ſcripta contulerit, qui Styli rationes prudenter exegerit non movebitur libri ſubdititii auctoritate. Si de Pauli Epiſtolis & Speciatim de ea, quam dedit ad Titum, ex inſtituto commentatus eſſet Ambroſius, non minus ac reliqui Patres ſerpentem Arium, Eunominum colubrum, ceteraque monſtra firmiſſimo argumento ut ferrea quadam catena conſtrinxiſſet. Jam vero acerrime ſemper inter Judæos ac Chriſtianos de adventu Meſſiæ diſputatum fuit: nec adhuc concertatio conquievit. Quemadmodum Johannes Imo hiſtoriæ ſuæ Evangelicæ capite, & Paulus adducto ex *epiſtola ad Titum* loco Chriſtum Deum eſſe manifeſte docent: ita ex Jacobi de Shilo vaticinio dilucide conſtat, ante tot ſecula natum Meſſiam: Igitur,ſi à Jacobi teſtimonio tuto licet recedere, eo quod aliis argumentis effici poſſit quod volumus, cur non eadem de cauſa licuiſ-

licuiſſet olim, liceretque hodie Johannis ac Pauli pronunciatis vim ſuam adimere. Attamen Clericus Socinianos Johannis dicto non ſolum recte oppugnari profitetur, ſed & ipſe oppugnat, etſi in ea, qua illuſtrem locum exponendum ſuſcepit, diſſertatione multa reprehenſionem merita reperiuntur.

XII. Hæc ſunt exemplo, ut intelligatur, nihil eſſe, quo temeritas accedere nequeat, ſi allata à Clerico ratio obtentui ſumatur Negat ſibi vitio vertendum *Auctor*, quod Jacobi teſtimonio nihil contra Judæos effici ſtatuat: cum argumenta alia ſint in promtu. Quid ſi quis aggrediatur in alio dicto contorquendo ingenium exercere, eodem uſus prætextu? Quid ſi quivis Intepretum unum aliquod illuſtre ad probanda ſumma Chriſtianæ religionis capita pertinens pronunciatum ſibi depravandum ſumat? Nihil tandem peſſimæ hominum licentiæ, quam libidinem rectius dixeris, intactum erit. Nunquam conſiſtent exempla, ſemper ulterius procedent. Quo firmiora ſunt argumenta, eo audaeius eripientur. Magnas tandem inter opes, erimus inopes, habebuntque Judæi, quod tam diu irritis expetivere votis.

XIII. Fatetur *Auctor*, Judæos ax Deu. 18. 15. firme graviterque refelli. Neutiquam vero id ipſi gratiæ apponendum puto. Fulget enim claritate ſua locus, & in omnes partes radios emittit. Liceat autem quærere, cur igitur Chriſtianis non minus luculentum Jacobi vaticinium eripere allaborarit? Judæis ſuppetiæ ferendæ prorſus non erant. Religioni Chriſtianæ nullam prorſus injuriam inferri oportebat. Si tam ſinuoſi voluminis, quod totius Pentateuchi Commentarium ſiſtit, Judicem conſulas, ſi Meſſiæ vocabulum ad

dictum literarum evolvas, unicum Deut. 18. caput allegatum videbis. *MESSIAM fuisse promissum Hebræis*, (hæc verba sunt) Deut. 18.15. Ipso quidem Commentario Num. 24. 17. דרך כוכב מיעקב ad Christum refertur conf. tamen omnino infra §. 74. Sed illud forte tanti momenti visum non fuit, ut lemmati *de promisso Judæis Messia* in Indice adjiceretur. Ita ne vero summis viribus ad paucitatem redigenda fuere, quæ Moses augustissimo Pentateuchi opere de Messia proposuit, & ad omnem posteritatem transmisit? Ad Mosis scripta Christus provocabat, cum contra Judæos disserer et. Idem faciebant Apostoli, vestigiis Christi insistentes. Ita vero de Mose verba faciunt, ut manifeste appareat, eum non uno aut altero sed plurimis locis exposuisse. Εἰ ἐπιστεύετε μωσῆ inquit Christus, ἐπιστεύετε, ἂν ἐμόι, περὶ γὰ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν Εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε, πῶς τοῖς ἐμοῖς ῥήμασι πιστεύσετε. Joh. 5. 46. 47. Tot & tam luculenta de Christo vaticinia Mosis & Prophetarum scriptis continentur, ut servator discipulos in itinere Emmauntico graviter reprehenderet, & *socordes tardosque corde* diceret, quod *Christum tanta pati, & ita in gloriam suam introire debuisse* non intellexissent. Quibus *cum exorsus à Mose, & obiens omnes Prophetas per omnia scripta, quæ de se ipso dicta fuerant* interpretaretur, ita commovebatur iis animus, ut *arderet* Luc. 24. 32. Multum etiam ponderis habent quæ ibidem commate 44. sequuntur verba. Οὗτοι οἱ λόγοι οὓς ἐλάλησα πρὸς ὑμᾶς ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν, ὅτι δεῖ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ μωσέως, καὶ προφήταις καὶ ψαλμοῖς περὶ ἐμοῦ. Etenim πάντα inquit τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ μωσέως. Non ergo uno tantum aut altero loco ejus mentionem fecit Divinus scriptor;

ſcriptor: non tam anguſtis terminis includenda ſunt, quæ operi ſuo de optimo ſervatore inſeruit. Sæpius ſuo & omnium hominum Liberatori teſtimonium perhibuerit oportet, ut magnificis Chriſti verbis πάντα τὰ γεγραμμένα res accurate conveniat. Et quis credat Aprippam Regem, cum Paulus ſe *nihil dicere extra ea, quæ tum Moſes tum alii vates ante futura denunciarint, videlicet paſſurum Chriſtum, & primum ex reſurrectione mortuorum lucem populo & gentibus nunciaturum.* Actor. 26. 22, 23. publice profiteretur, ſecum in animo cogitaſſe, quod Moſes, cujus libri tantam veteris Inſtrumenti partem conſtituunt, uno tantum aut altero loco optimi Redemptoris mentionem injeciſſet? Errat, & longe errat, quiſquis ſic animum inducit ſuum.

XIV. Quomodo vero illuſtre quod Deut. 18. extat, de Meſſia vaticinium tuitus eſt, & vindicavit? Num urſit Judæos, ut par erat? num ad eas redegit anguſtias, ad quas facillime redigi poterant? num coarctatos concluſit, ne rima quidem relicta, per quam elaberentur? Imo vero bipatentem fugæ portam aperuit, & quod majus tela jam exarmatis tradidit, quibus ad inſtaurandum prælium uterentur? *Hoc vult* inquit *Moſes: Si quid populus Hebræus aut etiam privati aggredi cupiant ne eant ad vicinarum gentium hariolos, ut eventum prius cognoſcant, nam habebunt vates, mei ſimiles, divinitus afflatos, quos conſulant. Paulo poſt. Itaque aut voce ſingulari* נביא *intelligendus ſolus Joſua, qui Moſi ſucceſſit, aut ſi ei ſequentium ætatum Prophetæ conjungantur, erit numerus ſingularis pro plural.* Comm. in Deut. p. 480 a. in. Ita de Joſua explicavit, quin imo ad omnes Prophetas traxit, quod ad ſolum Meſſiam referendum erat. Quem ne penitus excluſiſſe videretur, hæc ſubjecit. *Attamen, ſi in*

animum

animum revocemus, in Veteri Teſtamento, non tantum eſſe vaticinia, quorum verba pertinent duntaxat ad res ſub Meſſia futuras, ſed & alterum genus vaticiniorum, quæ ita concepta ſunt, ut reſpiciant quidem, ſi ſeries orationis ſpectetur, res ante Meſſiam impletas, ſed tamen & ulterius urgeri poſſint, quippe plenum eventum & verborum magnificentia dignum nondum ſortitæ: ſi inquam hæc penſitemus ut par eſt, intelligemus in hoc latere ſenſum ſublimiorem. Juvat huc afferre Grotium, qui, de tanto vaticinio ex inſtituto agens omnia ad varios à Deo ſubinde miſſos Prophetas abripit nec præclari quid aut ſingularis de Meſſia dici admonet, hoc unum obiter & velut in tranſcurſu adjiciens, jure meritoque obtemperandum Jeſu Nazareno, ſi vel maxime Meſſias non fuiſſet. Ita enim XVti commatis verba נביא מקרבך מאחיך כמני יקים לך יהוה אלהיך obſcurat potius quam illuſtrat: *Sæpe ſcilicet*, inquit, *ubi magna neceſſitas aut utilitas id exegerit, cum autem ait*, ſicut mè, *non loquitur de munere* νομοθέτε, *ſed de Prophetico & vox* ſicut *communitatem quandam nominis atque auctoritatis, non omnimodam æqualitatem notat, ut apparet infra c. 34. v. 10.* Ad ſubſequentia, autem אליו תשמעון pergit. *Ipſi per omnia pare, etiamſi quid contra legem jubeat. Poteſt enim Deus mutare legem, qua vult parte, quo vult tempore. Et quia notæ omnes veri Prophetæ, de quibus agetur infra, in Jeſum Nazaraenum congruunt, ideo parendum ei fuit, etiamſi is Meſſias promiſſus non fuiſſet.* Act. 3. 23. Quid aliud ex hac Grotii commentatione colligi poteſt, quam nihil hic dici à Moſe, quod non æque ad Jeremiam, Ezekielem, Amoſum & omnes alios Prophetas, quam ad Chriſtum reſpiciat? Videtur tamen ubi ad Mat. 17. 5. & Act. 7. 37. interpretanda acceſſit, fulgore quo-

dam

dam veritatis eo aductus fuiſſe, ut ex aliqua parte mutaret ſententiam, & Chriſti magis ac reliquorum Prophetarum rationem haberi vel invitus profiteretur. Ibi enim pro more ſuo ad ſublimiorem ſenſum confugit, & vaticinium Moſis ad alios Prophetas aliquatenus, ad Chriſtum vero eximie & excellenter pertinere tradit. In quo Clericum Grotio conſentire ex iis, quæ ſupra dicta ſunt, apparet. Quantum vero ponderis auferetur argumento, ſi hos ſequeris interpretes, ſi eodem Judæos adoriaris modo? Non repugnat Clericus, ſi quis *literalem ſenſum* de Prophetis unverſim accipiat: fatetur vocem נביא de ſolo Joſua intelligi & explicari poſſe: denique *literalem ſenſum* Chriſto abjudicat: Quis non videt, quam hæc periculoſa ſint & noxia? *Sublimior ſenſus* ab utroque tum Grotio tum Clerico non probatur, ſed fingitur: at veritas veritate, non hypotheſibus ad libidinem confictis defendi debet. Ruere ſolent, qui nubes & inania volatu captant: hunc ſolum temeritatis fructum conſequuti, ut alii ex eorum exemplis diſcant, quid ſibi ſit ex uſu. Diviniorem Scripturam in varios torquere ſenſus haud eſt fidi Interpretis, qui re non opinione ducitur, & oſtentandi ingenii cupiditate tanquam vitio bonæ mentis liber veram germanamque Divini Scriptoris ſententiam exquirere, & perſcrutando in veſtigare allaborat. Ludunt lectores, qui verba variis ſenſibus attemperant: nce animi ſententiam nos edocere, ſed involvere & obſcurare cupiunt: altera manu eripientes, quod altera largiuntur. Nihil tale de Moſe, Prophetis & Apoſtolis cogitandum, ne in Deum ipſum, a quo tacti afflatique ſcripſere, ſimus injurii. Ex orationis ſerie effici putat Clericus quod Moſes rem ante Meſſiam impl-

impletam tradat: eventum tamen ante Meſſiam verborum magnificentiæ non reſpondiſſe ſcribit. Ergone verba cum rationis ſerie, & orationis ſeries cum verbis pugnat? Moſes magnificentius, quam verius diſſerit? dicuntur de Joſua, dicuntur de Samuele, de Jeremia, & aliis vatibus, quæ non de ipſis ſed de ſolo Meſſia dici poſſunt? Si Cicero, ſi Tranquillus, ſi Florus de infimi ordinis milite tanquam de ſummo Imperatore verba facerent; ſi ab eo res geſtas ſcriberent, quæ non niſi à Julio Cæſare fuerunt geſtæ; ſi domitorem Galliæ, devictoque Pompejo populi Romani perpetuum dictatorem appellarent; ſi denique a Bruto, Caſſio & reliquis conjuratis tribus & viginti plagis in curia confoſſum traderent: quis turpiſſimum verborum abuſum approbaret? imo quis non moleſte ferret, & indignaretur graviter, ac abſurdos ineptoſque ſcriptores lectione prorſus indignos judicaret? Nemo magificis & ex iis quæ ſoli auro conveniant, praſibus de viliſſimi pretii ligno utitur, nemo exiguam villam urbem urbium principem vocat, nemo trium aut quatuor paginarum libellulum ingens & longo tempore vix perlegendum opus dicit, ne ſe cunctis audientibus præbeat deridendum. Abſit igitur, ut Divinis Scriptoribus tribuamus, quod nullus vir cordatus ſibi tribui patiatur. Cum Petrus auditoribus ſuis ſalutarem de Chriſto Servatore doctrinam exponeret, cum eam adducto Moſis de tanto Propheta vaticinio confirmaret, nihil de ſublimiori admonebat ſenſu. Moſen & omnes à Samuele Prophetas de Chriſto vaticinatos teſtabatur, integrum, de quo nunc agitur locum, non unum aut alterum tantummodo vocabulum ad Servatorem referebat *v. Actor.* 3. 22, 23, 24. Paulus ad Galatas ſcribens

bens & controverſiam in qua dirimenda verſatur, Iſmaelis & Iſaaci hiſtoria illuſtrans ἀλληγορέμενα ſe proponere perſpicue admonet c. 4. 24. At longe aliter Petrus orationem conformat, ut ne minima quidem dubitatio ſupereſſe poſſit, quin ex ipſis, prout à Moſe afferuntur, verbis ſine ulla accommodatione aut *Figura* argumentetur: Viam, qua præivit Petrus, tuto ſequimur; qui diverticula quærunt inexplicabilis periculi periculum faciunt. Si toto Moſis pronunciato utimur, ſi verbis omnibus eam quam habent, relinquimus *emphaſin*, ſi urgemus ortionis ſeriem, collata Deuteronomii clauſula à Judæis poſtulamus, ut vel alium Moſi ſimilem nobis commonſtrent, vel Meſſiam à Moſe reſpici fateantur: preſſi argumentorum pondere exceptiones ſuas pluma levioviores eſſe facile anmadvertent. Clerico vero vel illud reſpondere poterunt, quod à ſe reſponſionem, qua ei occurrant, quæri opus non ſit: Suppeditaſſe jam Clericum, & oſtendiſſe, qua ratione occurri queat. Neminem ſibi ducturum vitio, quod interpretationem, cui orationis ſeries, totiſque vaticinii contextus minus conveniat, nolint admittere. Fruſtra verba nimis magnifica dici, quam ut omnia vel ad Joſuam, vel ad omnes Prophetas referantur, ſi orationis ſeries ea ad Joſuam aut ad univerſos vates referri velit. Moſi habendam fidem, ejus verbis citra controverſiam ſtandum eſſe, nihil eum Joſuæ, nihil Iſraelitarum vatibus tributurum fuiſſe, cujus menſuram minus accurate fuiſſent impleturi. Monebunt denique, ut parcat operæ nec aliis ad intelligenda Moſis vaticinia præferre velit facem, quæ ipſe contra orationis ſeriem interpretetur.

XV. *At*

XV. *At Christus & Apostoli loco Gen. 49. usi non sunt.* Quid vero inde sequitur? num propterea nec nobis eo utendum? num ab omnibus abstinendum vaticiniis, quæ Novi Instrumenti Scriptores aperte manifesteque non allegarunt? Hujus sane consecutionis ratio intelligi nulla ratione potest. Neque etiam Clericus eam ostendit, neque ceteri, quibus in more positum est sic argumentari. Certa sunt omnia, & sine ulla dubitatione amplectenda, quæcunque docuit Sanctissimus Spiritus. Constat iis omnibus Divina auctoritas, sive in N. T. repetita fuerunt, & iterata, sive minus. Turpe discipulis est Præceptori præscribere, quoties ejusdem rei se admoneri velint: fœdum vero Christianis vaticinia de Christo V. T. tabulis proposita vocare in dubium, si à N. T. Scriptoribus non sint adducta. Videant autem hi homines, ne Apostolis, quorum auctoritate se defendere conantur, palam repugnent. Supra ex pronuntiatis Apostolicis effeci, *Prophetas omnes Messiæ testimonium perhibuisse.* Sudaverint autem plus satis, qui id dederint operam, ut ex omnbus Prophetis, loca in N. T. expresse allegata commonstrent. Exemplo Obadias, & Zephanias sunt, qui nominatim in scriptis Novi fœderis haud adducuntur. Apparet igitur, jam ab Apostolis huic exceptioni occursum: dum universim omnes Prophetas de Christo vaticinatos esse produnt, neque tamen singulatim exomnibus vaticinia allegant.

XVI. Septuaginta, de quibus Daniel cap. 9. exposuit, hebdomades, illustre Christianis pro adventu Messiæ argumentum præbent. Nec audet negare Grotius, locum ad Christum referendum, nec illud dubitationem habere existimat,

quod

quod *annorum hebdomades* intelligantur. Quæ Jeremias 23. cap. 5. 6. cap. 33. 17. de Jehova Tzidkenu, quæ Hoſeæ 3. c. de Davide Rege commemorantur, non minus aperte ad Chriſtum ſpectant. Grotius quidem *literalem ſenſum* aliorſum abripit, eminenter tamen ſublimioreque ſenſu ad Chriſtum pertinere docet. Ubinam vero Apoſtoli ex 70. hebdomadibus Danielis Meſſiam adveniſſe confirmant? ubinam Jerem. 23. 5, 6. cap. 33. 17. Hoſ. 3. 5. expreſſe adducunt, & ſublimiori ſenſu de Chriſto interpretantur? Chriſtus quidem vaticinii à Daniele propoſiti mentionem facit Matth. 24. 15. at nihil de 70. hebdomadibus admonet, nec inde nominatim argumentum petit, quo Judæos confutet: Paulus Chriſtum *nobis eſſe juſtitiam* commemorat 1. Cor. 1. 30. Sed ipſa Jeremiæ verba non adducit, argumentum à ſublimiore, qui in iis latet, ſenſu non repetit. Chriſtus Regis nomine in N. T. ſæpius appellatur, Apoſtolos autem ad Hoſ. 3. 5. 6. provocaſſe non legimus. Proinde, ſi omnia, quibus Apoſtolos contra Judæos pugnaſſe non legimus, argumenta ruunt, & illa corruent quæ Grotius ex modo adductis vaticiniis attulit, nihil iis adverſus Judæos effici poterit, & probari. Sin iis Grotii ſectatores uti cupiunt: (utendum autem omnino eſt, ſed ita ut repudiato Grotii de ſublimiore ſenſu commento literalis & germana verborum Significatio urgeatur,) nulla cogemur neceſſitate, ut cuncta, quibus refellere Judæos aggredimur, ab Apoſtolis in ſubſidium vocata demonſtremus.

XVII.

XVII. Hæc propter eos adjeci, qui Grotii auctoritate ducuntur, cum iis ſolenne ſit, Veteris Inſtrumenti de Chriſto vaticinia Novi Fœderis ſilentio oppugnare. Quid Clericus de Jerem. 23 5.6. cap. 30, 17. Hoſ. 3. 5. 6. exiſtimet in medio relinquo, quandoquidem de ſolo Pentateucho adhuc eſt commentatus. Ceterum neceſſe non eſt, afferre cauſas, cur Divini Novi Inſtrumenti Scriptores Geneſ. 49. 10. non allegarint, Grato agnoſcendum animo, quod tot Prophetarum de Liberatore noſtro vaticinia adduxerint, explicaverint, illuſtrarint, quod ituris patefecerint viam, quod multa nos edocuerint, quæ alias magno laboris temporiſque impendio non fuiſſemus aſſecuti. Abutitur tanto beneficio, quiſquis ulterius non vult progredi, ac cetera quæ Divini V. T. vates literarum monumentis conſignarunt, vaticinia vel per incuriam negligit & contemnit, vel etiam perverſa depravataque voluntate labefactare & incerta reddere conatur. Videntur tamen Judæi, hodie adhuc multo gravius Jacobi pronunciato premi, quam cum Evangeliſtæ & Apoſtoli Novi Fœderis tabulas dictante Divino Spiritu conſcriberent. Jacet nunc in ruinis Hieruſalem, jacet longe celeberrimum olim Orientis templum, nulla Judæis per totum orbem diſperſis urbs aut propugnaculum ſupereſt, nec ſolum Chriſtianorum Turcarumque imperio ſunt obnoxii, ſed & omni regiminis forma prorſus deſtituti ultionis Divinæ exempla in ſe ipſis circumferunt. Nec tanta diuturnitate temporum levata mala: ſed durat & perſiſtit calamitas, pluribuſque jam ſeculis ſceptro caruit gens avitis ſedibus ejecta, quam olim conceſſas à Deo terras poſſederat. Verum Chriſto & Apoſtolis ſalutarem doctrinam prædicantibus (ſi ultima tempora excipias)

cipias) victi magis erant Judæi, quam domiti. Quamvis recuperandæ potentiæ occasionem circumspiciebant: pecuniasque à Romanis imperatas numerabant invitissimi, ut Pharisæi quoque Christum in odium publicum & summam apud populum invidiam adducere sperarent, si pronunciàret solvendum esse Cæsari tributum. Nec sane vires ad nova molienda defuere. Illo, quod exitium genti attulit bello, non Hierosolyma tantum, sed & multæ aliæ munitissimæ civitates tenebantur: comparatus ex Galilæa exercitus CM constabat armatorum, victus à Judæis Cestius nec resistere hostibus, nec satis tuto fugere poterat: Nero rebus minus prospere gestis territus animi perturbationem frustra celare nitebatur. Hierosolymis obsidione clausis undecies centies mille Judæi periere. Capta jam urbe intellexit Titus & fassus est, non suis viribus sed divinæ voluntati tribuendum, quod in potestatem redacta fuerit. Παρελθῶν δὲ τῖτος εἴσω inquit Josephus de bello Judaico libro ζ. Cap. μγ. τάτ' ἄλλα τῆς ὀχυρότητος τὴν πόλιν, καὶ τῶν πύργων ἀπεθαύμασεν, οὓς οἱ τύραννοι κατὰ φρενοβλάβειαν ἀπέλιπον. κατιδὼν γοῦν τότε νεστὸν αὐτῶν ὕψος, καὶ τὸ μέγεθος ἐκάστης πέτρας, τέντε ἀκείβειαν τῆς ἁρμονίας καὶ ὅσοι μὲν εὗρος, ἡλίκοι δὲ ἦσαν τὴν ἀνάτασιν, σὺν Θεῷ γ' ἐπολεμήσαμεν· ἔφη, καὶ Θεὸς ἦν ὁ τῶν δὲ τῶν ἐρυμάτων ἰουδαίους καθελών· ἐπεὶ χεῖρες τε ἀνθρώπων ἢ μηχαναὶ τὶ πρὸς τούτους τοὺς πύργους δύναντο; Si adhuc hodie legibus suis magna ex parte viverent, si quis eorum religioni addictus regium nomen dignitatemque Turcici Imperatoris permissu tueretur, si porro Judæi maxima munitissimaq; niterentur urbe, si justum exercitum possent instruere, si interdum prospere contra hostes suos dimicarent, multo difficilior disputatio de vaticinio Jacobi foret. Nulla sibi ratione persuaderi paterentur, sceptrum à gente sua remotum. Quam-

vis alii populo eſſent obnoxii, haberent procuratores exteros, & tributum pendere cogerentur, nondum tamen actum & conclamatum, nondum ſe prorſus oppreſſos debellatoſque crederent: Putarent potius haud ſine cauſa in ſpem libertatis inſtaurandæ ſe erigi: fierique poſſe, ut versâ fortunâ rebus magis ſecundis fruerentur. Quare tanto minus cauſæ noſtræ obſtat, quod Apoſtolos ad *Gen.* XLIX. 10. provocaſſe non legamus. Nam quo diutius durat Judæorum calamitas, eo majori Jacobæi vaticinii ſplendore oculi eorum feriuntur.

XVIII. Jam id Clericus agit, ut oſtendat noſtrates minus feliciter ex Chaldæis Paraphraſtis contra Judæos diſputare. Non negat quidem, eos auctoritate apud adverſarios plurimum valere: haud multum tamen proficere exiſtimant qui inde depromant tela. Ratio vero, qua utitur, iterum omni robore deſtituitur. *Quamvis*, inquit, *voce* שילה *Meſſiam ſignari confiteantur, in ambiguitate reliquarum vocum latibula ſibi quærunt: ex quibus eos ejicere Interpretes non poſſunt quandoquidem quod hic probat illi diſplicet.* Atqui non parum in eo ſitum eſt ut conſtet, per Shilo Meſſiam notari. Quod ſi efficere poſſent Judæi, non agi de Meſſia, eſſe alium, ad quem Jacobus reſpiciat, cauſam viciſſet Clericus, patereturque fruſtra Judæos hoc argumento oppugnari. Eo controverſia continetur omnis, utrum ex Jacobi de שילה vaticinio recte ſolideque demonſtretur, jam adveniſſe Meſſiam. Ante omnia igitur diſpiciendum, num vocabulum Shilo Meſſiam ſignificet. Hoc cum Chaldæi Paraphraſtæ fateantur, non in parvo pretio ponendum eſt eorum teſtimonium. Quantopere illo Judæi moveantur, docent Rabbinorum exempla, qui magno numero ſequuntur Paraphraſtas, & auguſtiſſimum Jacobi

cobi dictum de Messia interpretantur. De eo plurimos Judæorum Magistros consentire Clericus ipse concedit, *ac unum ferme celebriorem Rabbinum Aben Ezram popularibus suis adversari scribit*, Commentario in Genesin *ad hunc locum*. Cur igitur ad Paraphrastas Chaldæos, cur ad multo maximam Rabbinorum partem non provocemus? Si disputet adversarius, minus recte Jacobi vaticinium à nobis de Messia explicari, à suis Magistris confutabitur. Ab iis edocebitur, quod se à Christianis doceri ægre fert. Videbit invitus, Doctores, à quibus contra nostrates præsidium sperabat, suppeditare Christianis argumenta, quibus causam suam tueantur. Hærebit dubius, quo se vertat, num antiquitatis Judaicæ auctoritatem penitus abjicere, an id, quod res & ipsa, veritas postulat, fateri velit. Quicquid eligat, constrictus tenebitur. Parum refert, utrum Judæi in ambiguitate reliquarum vocum latibula quærant. Frustra quæritur ambiguitas, ubi omnia satis perspicua sunt, frustra quæritur nodus in scirpo. Qui causam justam, facilem, vincibilem, optimam defendit, obviam procedit adversario, non latibula circumspicit. Quid יבור quid שבט quid מחקק quid phrasis מבין רגליו notet, satis clarum est. Ejecti jam dudum sunt ex latibulis, nec amplius quæri debet, utrum ejici possint. Si vero prorsus ejici nequeunt, cur sibi confutandam sumsit exceptionem, *festem* per שבט denotari? *Comment. p.* 304. a. f. An varietas sententiarum nobis sit fraudi, supra vidimus. Quare non pungit nos tota hæc Clerici oratio, sed amisso aculeo torpet.

XIX. Miserum vero Clericum, qui, ut verbis Augustini parumper immutatis utar, non intelligit, quod Judæi intelligunt! Christiani Interpretes

Clericum ad Christum ducunt, hunc שילה esse admonent, sed non sequitur recte monentes. Accedunt Judæi, vident Messiam esse, de quo Jacobus vaticinetur, quamvis, quisnam veras Messias sit, ignorent, sed quod à Judæis hoc in loco cernitur, Clericus tamen videre non potest. Agnoscit, male cessisse Aben Ezræ, quod repudiata veteri communique sententia Jacobi verba ad Davidem detorserit: dum nullo *sensu regnum penes Judam futurum dici potuerit, donec is veniisset, qui primum ei tribui perpetuum diadema adeptus est*, Comment. in Genes. *p.* 302. b. in. sibi tamen non cavet, quo minus si non in eundem, certe in simillimum scopulum navem impingat. Quam male rem gerit Clericus, quam infeliciter Interpretis officio fungitur?

XX. Non paucos Judæorum illustrissimo argumento convictos avitam superstitionem reliquisse *Auctor* subindicat, simul tamen, ut apparet, addubitans, an res ita se habeat. *Objicientur*, inquit, *forte Judæi, Christianam religionem ob id oraculum, ut ajunt, amplexi.* Equidem id omni dubitatione carere existimo. Fuerunt Hamburgi, qui non solum hoc oraculo ad nostra sacra suscipienda commotos se profiterentur, sed & vita pie sancteque acta, ipsa morte denique ostenderent, quanta præclarissimi vaticinii vis fuisset. Frustra autem Clericus regerit, *accessisse sine dubio alia argumenta ex resurrectione, miraculis Christi & Apostolorum ducta, quæ majoris fuerant ponderis.* Etenim, quibus argumentis pronunciato suo fidem faciet? Unde nam constare poterit, eos, qui Jacobi vaticinio se imprimis victos profitentur, aliis argumentis ad repudiandam superstitionem magis commotos? Non alii rectius atque ipsi scire possunt, quonam præcipue argumento ad Christianam religionem fuerint traducti?

ducti? Porro argumentum, quod à resurrectione Christi & miraculis ducitur, nullus rejicio. An vero cum minori difficultate, quam Jacobi de Shilo vaticinium conjunctum sit, de eo copiosa disputatio posset instituí. Quod Jesus Nazarenus extremis posterioris templi temporibus occisus fuerit, fatentur Judæi: at revocatum ad vitam esse non fatentur. Probandum ergo, & extorquenda Judæis assensio, Ex *Ps.* XVI. ut alia Vet. Instr. vaticinia silentio transeam apparet, *non relinquendam Messiæ animam sepulcro, nec Messiam pati debere corruptionem:* Sed ut inde conficiatur, Jesum Nazarenum recepisse vitam, ostendendum est, hunc verum & à Prophetis prænunciatum Messiam, liberarorem-que fuisse. Ita Mosis & Prophetarum de Messia vaticinia, in quibus & Jacobi dicto insignis debetur locus, repetenda erunt; hinc edisserendum Judæo, quo tempore venire Messias, & quantis beneficiis humanum genus afficere debuerit. Quod si præteritis Vet. Instrumenti scriptis Judæum Evangelistarum & Apostolorum testimonio adoriaris, Divinam Novi Fœderis auctoritatem demonstrari intererit, ut exuat pertinaciam, ut errores, quos à puero fuit amplexus, abjiciat, ut Christianorum sacris se initiari patiatur. Atqui multo plus laboris & operæ requiri, ut Judæus auctoritatem Novi Codicis agnoscat, quam ut V. T. vaticiniis pressus Messiam jamdudum venisse fateatur, neminem ignorare arbitror, qui cum Judæis paulo crebrius de summis Christianæ religionis capitibus disputarit. Gravissimo non tantum Servatorem nostrum, sed &, Apostolos odio prosequuntur, & vix audire sustinent Christianum, qui non è Mose & Prophetis, sed ex Apostolorum scriptis salutarem doctrinam confirmare aggreditur. Conquirunt ex N. J. scriptis

pronunciata difficiliora (impii homines pugnantia vocant) &, quemadmodum ex חזוק אמונה videre eſt, in commentarios referunt, ut erroribus ſuis quandam quaſi rationem obtendant. Objecta repelli, confutari, & plane dilui omnino poſſunt: ut tamen omnis dubitatio Judæo eximatur, prolixa diſputatione opus eſt. Ubi vero ex Teſtamento Veteri, ex illo libro quem Judæus ſanctiſſimum & Deo dictante conſcriptum ſtatuit, quem non nos Judæo, ſed nobis Judæus offert, oblatumque tradit, Chriſtianam religionem firmiſſimis clariſſimiſque argumentis probari vidit: ubi eo deductus eſt, ut non aliam Pauli, quam Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Moſis & omnium Prophetarum doctrinam fuiſſe fateatur: tum ſane gravi in ſuos majores indignatione commovebitur, quod Chriſti diſcipulos ob eam religionem affecerint injuriis, flagellaverint, & obruerint lapidibus, pro qua vitam amittere nemo Prophetarum detrectaſſet. Nec Novi Fœderis tabulas, quas in Veteri Fœdere ſæpius promiſſas, quas tantam Moſis & Prophetarum ſcriptis lucem afferre videt diutius repudiabit, ſed lubenti læto gratoque animo complectetur.

XXI. Forſitan dixerit Clericus, aliam ſibi ſupereſſe viam. Non ſibi ad argumentum, quod à *reſurrectione* Chriſti ducitur, confirmandum neceſſarium videri, ut Divina N. J. auctoritas Judæo demonſtretur. Habere ſe, unde Apoſtolorum de Chriſto ad vitam revocato teſtimoniis fidem apud Judæum prius etiam conciliet, quam N. T. ſcriptores Divinitus tactos ad ſcribendum acceſſiſſe ipſi conſtet. Non in more poſitum mentientibus, ut ad quingentos provocent teſtes. Conf. 1 *Cor.* xv. 6. Apoſtolos procul habuiſſe cauſas mendacii. Non honores, non opes inde ſperari potuiſſe, cum Evangelii

gelii doctrinam à Judæis haberi odio, à paganis rideri, cum Existimationis, opum, quin & capitis periculum sibi quotidie adeundum cernerent. Nec religionis studio auditoribus imposuisse. Si enim illi, quam cunctis annunciaverunt gentibus, & relatam in tabulas posteris reliquere doctrinæ fidem non habuissent ipsi, cur tantas pro ea injurias calamitates mortemque pertulissent: Sin verissimam optimamque & talem quam Spretis Judæorum & paganorum illecebris, calcatisque calamitatibus profiteri, defendere & ulterius proferre deberent, credidissent, neutiquam falsa spe à magistro suo fuisse lactatos. Præterea in historiæ Evangelicæ commentariis commemorari, quod Pontifices & Pharisæi Christi sepulcrum publica Romani præsidis auctoritate permagno lapide, sigillo & custodia communiverint Non id fingi ab Apostolis potuisse, cum nihil fuisset facilius, quam eos in urbe omnium gnara, & nihil reticente, in re manifesta, Pilato, universo Pontificum & Pharisæorum ordini, custodibus Judæis denique pariter & Romanis cognita tanti mendacii publice coargui & convinci. Si vero res ita, ut Evangelistæ scribunt, gesta sit à Judæis, ne quidem in cogitationem cadere quomodo discipuli, Christi magistri corpus auferendi rationem repererint. Frustra objici, dormivisse custodes, quibus vigilandi provinciam demandaverant Pharisæi. Etenim prorsus verisimile non fieri, quod omnes ne uno quidem excubitore excepto ad somnum se composuerint: Tantæ quoq; magnitudinis saxum sine gravi sono nequaquam potuisse avolvi. His argumentis urgendum Judæum, fidemque Apostolorum testimonio conciliandum. Equidem fateor, ita recte ab iis disputari, qui de veritate Christianæ religionis sunt commentati. Verum id jam

in cauſa eſt, utrum hæc plus ponderis ad convincendos Judæos habeant, quam vaticinia, quæ de Chriſto in V. T. ſcriptis exſtant. Judæi errores ſuos pertinaciſſime tuentur. Eorum animi quaſi quodam fulmine argumentorum percellendi ſunt, ut veritati cedant. Nulla vero tam bona aut potens ratio eſt, qua magis atque apertis dictis pronunciatiſque moveantur. Hæc niſi afferri audiant, putabunt imbecillioris cauſæ indicium eſſe. Mirabuntur, ſilentio veterum Prophetarum dicta, ad quæ provocare Novi Fœderis Scriptoribus ſolenne eſt, vel prorſus involvi ſilentio, vel poſtponi. Quærent, cur non eorum potiſſimam rationem habeamus.

XXII. Chriſti & Apoſtolorum miracula graviſſimis de cauſis N. T. inſerta ſunt. Plurimum ad Religionem Chriſtianorum confirmandam faciunt, ſed à verbo neutiquam ſeparari debent. Sigillum literis & diplomatibus appendi ſolet: Si avellas diploma, ſi ſolum ſigillum retinendum cenſeas, magno te ipſum damno afficies. Proinde non ita Chriſti & Apoſtolorum miracula Judæis objici par eſt, ut V. T. vaticinia indiligentius incurioſiuſque adhibeantur. Potius id agendum, ut ex Prophetarum pronunciatis diſcant, eadem quæ Chriſtus fecit, miracula olim prædicta prænunciataque fuiſſe. Sic tanto facilius feliciuſque res peragetur omnis, Judæique ad habendam miraculis fidem adducentur.

XXIII. Inde enim luculentum & omni exceptione majus argumentum, naſcitur, quo impiam Judæorum de miraculis magicæ artis præſidio à Chriſto editis ſententiam confutemus. Ea fecit, quæ à Meſſia fieri debebant. Eſaias manifeſtum daturus ſignum, ex quo verus Meſſias cognoſci poſſet, *Deus in-*

inquit, veniet, ac ſaluos faciet vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum reſerabuntur. Tunc ſaliet claudus ſicut cervus, & ovabit lingua muti. Cap. XXXV. 4, 5, 6. Quem locum ad Meſſiam pertinere multis argumentis patet. Habemus ergo, quæ miracula à Judæis expectanda, & à ſummo generis humani Liberatore edenda fuerint. Tempus, quo naſci Meſſiam, & *ſalvos nos facere* oportebat, *Haggæus*, Cap. II. & *Malachias*, Cap. III. in eos deſcripſere fines, ut appareat, illud æde poſteriore adhuc ſtante effluxiſſe. *Daniel* calculum ponere, & ſubducere rationes Cap. IX. docet, ſimul admonens violenta morte interemtum iri Servatorem, mox abrogandos ſacrificiorum ritus, denique delendam per Romanos impiam & ingratam urbem. *Michas* Cap. V. 1. patriam commemorat, Bethlehemam Ephratæ, oppidum parvum quidem, ſed hoc uno nomine maximis potentiſſimiſque urbibus anteponendum. Jam vero conſtat Jeſum Nazarenum Bethlehemæ natum fuiſſe. Conſtat porro quod non ſolum ſtante poſteriori æde, ſed & in hac ipſa docuerit. Conſtat, occiſum à Judæis, affixumque cruci, nec poſteri majorum facinus negant, ſed fatentur, & proh dolor! excuſando defendendo laudando faciunt ſuum. Sublatos ſacrificiorum ritus, everſam Hieroſolymam ſciunt Judæi, & lugent. Jeſum Nazarenum *ægros ac debiles & omni morborum genere affectos reddidiſſe incolumes cæcorum oculis dediſſe maximam videndi facilitatem ſurdorum patefeciſſe aures claudorum pedibus gradiendi currendique vim elargitum, mutorum quoque linguas ad eloquium ſermonemque ſolviſſe*, adeo negari non poteſt, ut Judæi ad magicam artem confugiant, hujus præſidio tanta miracula perfecta fuiſſe diſputent. Suis oculis Judæorum majores ea conſpexerunt

cu-

cum vero ſpreverint, repudiarint, viribus mali Spiritus, quamvis meliora ſcirent, adſcripſerint, cum tot miraculorum effectorem cruci affixerint, prædictas à *Daniele* immaniſſimi ſceleris pœnas dedere. Cæterum, nec illo, quod conſtituerat Deus, vateſque prænunciarant, tempore, nec ex ea patria quiſquam prodiit, qui maximis ac tot ſeculorum famam excitantibus miraculis clareret, & promiſſi Judæis Meſſiæ nomen ac dignitatem ulla ex parte tueretur. Quare, ſi Chriſti miracula vana falſa, & arte magica, quæ plurimum ad circumſcribendos oculos valet, ſed nihil veri habet ac ſolidi, perfecta ſunt; erravere Divini V. T. vates. Tum enim non approbata eſt vaticiniorum fides: non edita ſunt miracula, quæ ſub poſteriore templo, quæ nondum everſis Hieroſolymis, nondum elapſis LXX hebdomadibus editum iri ſcripſerunt. Falſa fallaciaque ſigna conſtituit *Eſaias*, unde Meſſias cognoſceretur, nec ipſe tantummodo à vero lapſus eſt, ſed & auditores ſuos lectoreſque ſecum abripuit, ac proſtravit. Verum *non cecidit* (ullum) *verbum de omni verbo bono, quod locutus erat Jehovah ad domum Iſraelis* (ſed) *evenit omne.* Joſ. xxi. 43. *Etenim non vir* (eſt) *Deus, ut mentiatur, aut filius hominis, ut pœniteat illum. Num ille dixerit, & non fecerit? aut locutus fuerit & non ſtabiliverit illud.* Num. xxiii. 19.

XXIV. Quod Paulus Chriſti diſcipulus ſalutarem doctrinam miraculis confirmaret Berroenſes non egere, non audire tantum poterant, ſed videre. Num autem minus in vaticiniis quam in miraculis tum eſſe: num hæc plus quam illa ponderis habere videbantur? Laudat eos Divinus actuum Apoſtolicorum Scriptor, quod nulla re magis ſtudium ſuum in legendo erectum teneri paſſi ſint, ac va-

vaticiniis, quæ Prophetæ V. T. de Christo prodiderunt. *Erant*, inquit, *Thessalonicensibus generosiores, quippe qui summa cum aviditate doctrinam admiserint, quotidie literas examinantes, an ea sic se haberent.* Act. XVII. 10. *Petrus* viderat, quanta miracula Christus edidisset. Viderat viventem, viderat affixum cruci, viderat reducem ad vitam, & tolli sursum ac in cœlum ascendere viderat. Multa spectaverat miracula, quæ Sanctissimus Spiritus literis mandari noluit, ne ipsa eorum multitudine memoria nostra obrueretur. Sanabat ægrotos, expellebat Spiritus malos & jacentia mortuorum corpora à morte revocabat, non sua tamen, sed Christi auctoritate. Nihilominus Prophetico sermoni palmam dabat, hunc firmissimum esse ad convincendos auditorum animos profitebatur. Non sciolas inquit *secuti fabulas potentiam vobis & adventum Domini nostri Jesu Christi declaravimus: sed ipsi ejus majestatem contemplati, quippe qui à Deo Patre acceperit honorem & gloriam, voce delata ad eum hujusmodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco. Hanc nos vocem audivimus de cœlo delatam, cum una cum eo essemus in sacro monte. Et habemus firmissimum Propheticum sermonem, in quem recte facitis quod estis intenti, tanquam in lucernam lucentem in obscuro loco donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in animis nostris.* 2 *Pet.* I. 16, 17, 18, 19. Quapropter res omnis eo redit. Non divellenda sunt à testimoniis Prophetarum miracula, cum amicissime inter se conspirent. Possunt acerbissimi Christianæ religioni hostes Christi & Apostolorum miraculis, possunt clarissimis V. I. vaticiniis oppugnari. Neutrum argumentorum vilipendi par est. Longe firmissime tamen adversarios pronunciata V. T. constringunt. Ita olim Petro monente comparatum fuit

cum

cum miracula fierent: ita multo magis hodie comparatum est, postquam cessavere. Si quis Jacobi de Shilo vaticinio, si aliis V. T. dictis magis quam miraculis ad suscipienda Christianorum sacra se commotum fateatur, non propterea Pseudo Christiani nomine meretur appellari, non argumentum quod à miraculis Christi & Apostolorum ducitur, elevare velle dicendus est, durior est hæc suspicio, & iniquior. Et haud scio an non hodie meliori jure credi possit *astutam vapido sub pectore vulpem servare*, dobisque fucum facere, qui *Gen.* XLIX. 10. qui alia multo clarissima Moses & Prophetarum vaticinia infirma debilia obscura dixerit, ut argumenrum à miraculis desumtum extollat.

XXV. Iis, quæ Clericus ad illustrem Mosis locum in *Indice* attulit, expensis, tempus est, ut ad ipsum Commentarium nos accingamus. Multo cius autem toto negotio defungi possumus, quam uidem primo conspectu videatur. Varias interretum sententias affert *Auctor*, hæ occupant magam commentationis partem. At de iis fuse disserere nostri instituti neutiquam est: Arcem, quod junt câusæ invadere, animus fert, & præclarissihum vaticinium à Clerici depravatione asserere lterius atque vindicare. Messiam vocabulo שילה enotari negat: Si igitur scire aveas, quid signicet, respondet, difficultatibus Jacobi vaticinium berari posse, si *cessationem finemque* convertas. Non utem firma certaque argumenta expectanda sunt, uibus hæc interpretatio confirmetur. Viliori retio tantum Christianæ religionis propugnacum à nobis vendi cupit. *Hæc eo non dicimus*, inuit, *quod hanc postremam vaticinii Jacobi interpretaonem*, (de illa autem, quæ modo commemorata est oquitur) *aliis omnibus seu quæ inventæ sunt, seu invenire*

niri poſſunt, præferendam cenſeamus, quaſi indubitatam hujus loci ſententiam; ſed ut probe expenſis omnium etiam olim receptarum ſententiarum fulcris, aut unde ſtet verum, aut ubi & qua ratione ſit quærendum, aut deniq; quare inveniri nequeat, liquidius appareat, p. 303. a. m. Hoc igitur eſt quod nobis de rationibus, quibus Clericus ſententiam ſuam corroborare nititur, habemus polliceri. Ubi Chriſtianos tot ſeculorum interpretes repudiaverimus, ubi præclariſſimi argumenti facta fuerit jactura, is nobis conſtabit fructus, ut fluctuet animus, ut hinc inde agitetur. Unde ſtet verum, nec Clericus ſatis novit, nec ſectatores ſuos (ſi quos hac in parte unquam habiturus eſt) docere poteſt. Imo neque id polliceri audet, fore, ut liquidius appareat, ubi & qua ratione verum quærendum ſit. Forte fruſtra inſumetur labor omnis, & tandem ſpei deſperatio ſuccedet. Verum *tanti non facimus pœnitere.* Aurum pro ære non vendimus. Nemo magnificas ædes dirui patitur, quamdiu incertum eſt, utrum unquam ſint inſtaurandæ. Servabimus ergo noſtra, quandoquidem Clericus præter incertam ſpem nihil habet, nihil oſtendit, ne iis, quæ habuimus abjectis & perditis, poſtea omni præſidio deſtituti egeamus.

XXVI. Quid ſi vero Clerico eveniſſet, quod multis aliis uſu venit, ut rectius, quid non ſit, quam quid ſit, ediſſerere queant? Forte ſolidis & extra dubitationis aleam verſantibus argumentis receptam apud Chriſtianos interpretes ſententiam infirmavit quamvis non invenerit certam interpretandi rationem. Audiamus quas cauſas Chriſto illuſtrem locum abjucandi habuerit, ut judicium de iis ferri poſſit. Generatim quidem ita diſputat. *Voluerunt Veteres quidam adminiſtrandæ Reip. Hebrææ jus ſummum penes Judam fuiſſe ab eo tempore, quo hæc pro-*

pronunciavit Jacobus ad Christum usque. *Atqui neque ante Davidem Regem neque post Sedeciam ullus è Tribu Juda Rex fuit, ut norunt, qui historiam sacram à limine salutarunt. Alii propterea fatentur, & ante Davidem & post Sedeciam, Regem nullum fuisse in tribu Judæ; sed nec eo minus vere dici posse contendunt, antequam Messias venerit, in perpetuum dissolutam non esse Judæ Remp. quoniam ex hac Tribu reduces Hebræorum opes paulatim recuperavere, & Reip. aut Regni speciem ad Christum usque servavere. Verum Jacobus non pollicetur penes Judam fore sceptrum, quod in perpetuum ei non detur donec Messias venerit, sed quod non recedat ab eo, quæ locutio continuitatem regni, nullis calamitatibus interrupti designat.* p. 302. b. med. Geminum hic latet argumentum, quo receptam de Christo interpretationem adoritur. Unum à vocabulo שבט, alterum מחוקק petitum est: ex neutro vero id efficitur, quod effici ac probari intererat.

XXVII. Prius priore expendamus loco. Non placet Clerico eorum sententia, *qui administrandæ Reipublicæ Hebrææ jus summum penes Judam ab eo tempore, quo hæc pronunciavit Jacobus ad Christum usque fuisse voluerunt.* Nec ego hanc sententiam meam facio. Antequam enim potestas omnis ad Reges conferretur, singulis tribubus sua constabat auctoritas. Nulla tribus reliquis dominabatur. In solenni tribuum conventu communi deliberatione & consensu bellum in Benjaminitas decretum fuisse divinus Scriptor commemorat. *Jud.* Cap. xx. *conferatur etiam* Josuæ. xxii. 11, 14. & 1 *Sam.* x. 20. Hinc nata formula *in diebus illis non* (erat) *Rex in Israele, quilibet rectum in oculis ipsius faciebat.* Jud. xxi. ult. &c. Erat adeo præcipua tantum Judæ auctoritas, non summa & talis, cui cœteræ tribus prorsus non potuissent refragari. Davide rerum

rum potito ſummum demum imperium penes Judam fuit, dum univerſa Hebræorum gens Regi à Juda genus arceſſenti parebat. Occurrendum autem Clerico eſt, ne iſto gladio ad jugulum noſtræ cauſæ petendum uti queat. Tribum Judæ reliquis cum ſummo imperio ante Davidem non præfuiſſe, libens conceſſi. Quod ſi vero nec ullam Reipublicæ formam antea habuiſſet, quod ſi fratribus, quod ſi exteris ad Davidem uſque paruiſſet, (pono hæc autem non concedo quæ nec ipſe Clericus ſibi concedi peteret) Clericus tamen ſibi repugnaret ipſe, ſi noſtram de CHRISTO SHILO ſententiam eo refellere conaretur. Infra enim num IV. illuſtre Jacobi vaticinium ſic παραφράζει. *Dignitatem Regiam NB. poſtquam ſemel in tribu Judæ fuerit, nullum in locum tranſlatum iri, ſed in ea perſeveraturum donec prorſus intercidat.* p. 303. a. in. Et p. 304. a. med. *Hoc poſito,* inquit, finis ejus *poterit ad* legiſlatorem *aut ad* ſceptrum *referri, aut etiam ad ipſum Judam, ut ſententia verborum ſit: donec Judæ tribus incolumis erit, nunquam regnum amittet NB. ſemel ſibi in Davidica familia collatum.* Ergo ſceptri, quod Jacobus Judæis promiſit, initium non ante Davidem quærendum, ſed repetendum demum à Davide exiſtimat. Qua in re ſi fallitur, ipſe videat, quomodo ſententiam ſuam tueatur: ſin minus, nihil noſtræ interpretationi decedet, quamvis Judæi vel maxime ante Davidem imperio ſceptroq; imperii indice fuerint deſtituti.

XXVIII. Nunc expedienda quæſtio eſt, utrum Judæi inde à Sedekia uſque ad Chriſtum habuerint ſceptrum. Illo enim ſi tribus Juda per tot ſecula caruiſſet, vocabulum Shilo neutiquam ad Chriſtum referendum foret. Nam Jacobus ſceptrum à Juda auferendum negat, antequam venerit Shilo. Prorſus

ſus autem imbecilla conſecutio eſt: *Judæi poſt Sedekiam nullum ex tribu ſua Regem habuere. Ergo ſublatum deletumque cum Sedekia Judæ ſceptrum fuit*, niſi immotis conficiatur argumentis, Jacobum vocabulo שבט ſolum regiam dignitatem indicare. Undenam vero illud probabitur? Clericus iterum ipſe ſibi viam præcluſit. De voce מחקק commentaturus *Idem* inquit *hac voce ſignificatur, ac antecedente* שבט, *pro more Hebræorum Synonymis paſſim utentium.* Et paulo poſt חק *eſt lex aut edictum, inde* מחקק *eſt aut qui leges condit, aut qui jus ex legibus dicit, quod faciebant Reges ex Juda oriundi, aut ſaltem judices ab iis conſtituti.* p. 304. b. med. Igitur שבט ac מחקק ex Clerici quidem ſententia *Synonyma* ſunt, res eadem pluribus vocabulis deſcribitur & illuſtratur. Atqui leges ferendi poteſtas non tantummodo penes Reges eſt. Etenim ſine legibus ingenerata hominibus ſocietas conſiſtere non poteſt: hoc vinculo ſublato ipſa quoque tollitur. Proinde miſerrimus foret Rerumpublicarum ſtatus, quæ Regibus non parent, ſed ſua fruuntur libertate. Potuit adeo Judaica tribus habere ſceptrum, cum nullum haberet Regem, nec שבט tam arctis terminis circumſcribi debet, ut ſolam regiam dignitatem ambitu ſuo comprehendat. Imo vero ipſa rei ratio latius vocabulum שבט patere comprobat. Quo jure Senatui populoque Romano, antequam graviſſimam libertatis jacturam facerent, aut hodie Belgis ex quo in Orientali India reges ad leges obſequii redegerunt, ſceptrum denegaretur? Inter reges, qui *Joſuæ* xii. capite commemorantur, multi unam tantummodo urbem tenuere. Hi ſi non ſolum ſceptra gerere, ſed & regium nomen tueri potuerunt, quid obſtat, quo minus Judæorum ſub æde poſteriore Ducibus ſceptrum tribuatur. Joſepho teſte Archelaus

laus & non Rex sed ethnarcha à Cæsare fuit constitutus. Καίσαρ δὲ Ἀρχέλαον βασιλέα μὲν οὐκ ἀπέφαινε, ἔθνους δὲ ἡμίπεως τῆς χώρας ἧπερ πρώην ἐτετράρχει ἐθνάρχην κατέστατε, πυθόμενον ἀξιώματι βασιλείας ἀνταχύσειν, εἰπερ τὴν εἰς αὐτὸν ἀρετὴν μεταθέσειεν. Antiquit: Judaicarum lib. XVII. cap. xiii. Nihil tamen minus Divinus Scriptor vocabulum βασιλεύειν de Archelao adhibet Ἀκούσας δὲ ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει τῆς Ἰουδαίας ἀντὶ Ἡρῴδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Matt. II. 22. Quod si vero βασιλεύειν dici potest, qui potestatem regiæ similem exercet, etsi regia dignitate careat, cur Reipublicæ denegaretur sceptrum, quæ Regem quidem non habet, at potentiâ inferior Regibus non est. Neque etiam Græci Latinique Scriptores desunt, qui sceptrum non Regibus solum sed & aliis in magistratu versantibus tribuerint. Verum eos in re tam manifesta prolixe adducere tædiosum non necessarium arbitror.

XXIX. Porro nec propterea statim totus populus sceptro destituitur, quod extraneum habeat Regem. Germaniæ Principes qui Richardo Anglo & Alphonso Sapienti Castellæ Regi Imperium detulere, nihil minus designarunt consilio, quam ut Germanica natio sceptro privaretur. Cum Henricus Valesius, qui postea Galliæ regnum hæreditate ad se devolutum aditurus clam aufugiebat, regno Poloniæ præesset, non carebat Polonia sceptro, nec nunc illud amisit, licet Johanni Sobieskyo, Germanici sanguinis Princeps Successor fuerit datus. Ponamus igitur, post Sedekiam neminem ex tribu Juda Judaicam rexisse gentem: haud tamen id eo valebit, ut efficiatur, toto, quod inter Sedekiæ mortem, & Christi nativitatem intercessit, tempore, penes tribum Judæ sceptrum non fuisse. Quamdiu Judæorum Respublica mansit incolumis,

namdiu ſuis gaviſa eſt legibus, tamdiu *ſceptrum ea receſſiſſe* dici non potuit.

XXX. Poſterius Clerici argumentum magnam m priori affinitatem habet. Igitur priore jam tis confutato quam facillime repelletur. Provot autem ad vocabulum יסור. Inde legitima concutione deduci credit, quod *non tantum Judæorum eſpublica in perpetuum non diſſolvenda, ſed & Regnum llis calamitatibus interrumpendum fuerit.* Video uid erret Clericus. Capta à Chaldæis Hieroſolyma, abductiſque Babelem Judæis Remp. Judaicam iſſolutam putat, quamvis *Judæi reduces recuperatis aulatim opibus Reip. aut Regni ſpeciem ad Chriſtum rvaverint.* Non ergo Jacobum morti proximum e Meſſia differere, cum *ſceptrum* ante quam Chriſtus dveniſſet, ſi non in perpetuum, attamen per intervalla quædam ſpiramentaque temporum *à tribu uda receſſerit.* Quod ſceptrum ſolos Reges non leſignet, ſupra dictum, probatum, defenſum fuit. Cæterum Judæi inter medias calamitates, quas in aptivitate Babylonica pertulerunt, ſceptro non uere deſtituti. Cum Jehojachin palatium regium um ſqualido carcere commutaſſet, ſucceſſit Sedekias, & Remp. Judæorum per xi. annos regia dignitate adminiſtravit. Porro non perpetuo triſtia ehojachino tempora fluxere, ſed finem tandem alamitatum vidit, & xxxvii^mo poſt ereptum à NebucadNezare imperium anno libertatem honores egios, imo principem inter omnes, qui Babele erant, reges, locum obtinuit, luculento ad omnem poſteritatem exemplo, res humanas ire in vices, Deumque ex regibus pro arbitrio facere captivos & ex captivis reges. vid. 2 *Reg.* xxv. 27, 28, 29, 30. Calculo poſito, xxvi. anni ſupererunt: his Judæi núllum niſi in carcere Regem habuere. Iis ſi *ſceptrum*

trum prorſus à Judæis *receſſiſſe* dixerit, evertet pronunciatum ſuum שילה ad Sedekiæ tempora referendum, & ante Sedekiam ſceptrum non ſolum à tribu Juda ſed & à Davidica familia ablatum neutiquam fuiſſe, conf. p. 303. a. in. Atqui Achasjahu interfecto Athalja nepotes ad mortem, regnum ad ſe rapuit, retinuitque per 6 annos, quibus finitis imperium ſcelere partum cum vita amiſit. Supererat Joaſus quem non ætas tenerrima, non rediens exſatiata jam crudelitate *pietatis* ſenſus, ſed Hieroſolymitani templi latebræ ſervarunt. Verum non meliore conditione fuiſſe puer, quam concluſus carcere Jehojachin videtur. Erat cubiculi conclave pro carcere, nec dubitari poteſt, quin Athalja nova ſubinde quærendi Joaſi conſilia ceperit, ut interficeret heredem regni, imperiumque, nepotis cæde confirmaret. Sic quotidie nova puerum circumſtabant pericula, potiſſimumque malorum levamen erat, quod eorum magnitudinem nondum intelligeret per ætatem. Quapropter, vel receſſit ſceptrum à poſteris Davidis, cum Athalja, quæ non à Davide neque à tribu Juda, ſed ab Iſraelitatum Regibus genus ducebat, imperaret, vel non receſſit. Si prius, ruit omnino pronunciatum Clerici, ruit etiam illa, quam Clericus attulit, Jacobei vaticinii interpretatio, ut facile intelliget, qui totam ejus de illuſtri loco commentationem accuratius paulo conſideraverit: Sin poſterius, non obſtabit mihi triſtiſſimum luctuoſiſſimumque captivitatis Babylonicæ tempus, quo tum Sedekias, tum Jehojachin carceribus continebantur, licebitque nihilominus tribui Judæ ſceptrum aſſerere & vindicare. Quid vero de Daniele dicam? Originem tribui Judæ debuiſſe ex apertis Divini Spiritus verbis tam clarum eſt, quam quod clariſſimum, vid. *Dan.* cap. i,

v. 6. Huic vero triſte exilium ſummæ dignitatis cauſa fuit. Cum Nebucad Nezari enarraſſet ſomnium, quod ſumma orbis terrarum imperia oculis quaſi præſentia offerebat, & cujus perditam à Rege memoriam totus ſapientum ordo non potuerat renovare, præficiebatur toti Babylonicæ regioni. *Dan.* ii. 48. *Rex Danielem magnum fecit, & dona multa* (ac) *magna ei dedit, & dominari fecit eum ſuper omnes provincias Babelis.* Judæis adeo cæteriſque in poteſtatem redactis gentibus Babylonii, Babyloniis Daniel Judæus imperabat. Verſabatur cum Rege in aula, apud quem tantum valebat, ut amicis ſuis Schadrach, Meſchach & Abednego ampliſſimos dignitatis gradus impetraret. Si probabilibus argumentis hac in parte locum concedimus, permagnam habuerit auctoritatem oportet, eo quod Judæorum hoſtes amicos Danielis quidem denegati Coloſſo cultus reos peregerint, ipſum vero Danielem accuſare non ſint auſi. Id ſane facili conjectura aſſequimur, non imminutam, non fractam, ſed novis acceſſionibus locupletatam Danielis potentiam, cum cognati ejus per mediam fornacem ambulaſſent illæſi, cum Nebucad Nezar ex hominibus depulſus ſeptem temporum ſpatio peracto imperium recepiſſet. Darius Medus totum, quam late patebat imperium, in cxx. diviſit provincias. Provinciis ſingulis ſatrapam, ſatrapis omnibus tres præſides præfecit. In his triumviris, (quantus autem ille magiſtratus, ad quos omnes tanti imperii ſatrapæ rationes referre debebant!) fuit & Daniel, & tanta auctoritate fuit, ut invidiam collegarum incurreret, qui ægre ferebant, eum à Rege majori in pretio, quam ſe haberi. Et jam agitabat animo conſilia de univerſi imperii cura Danieli committenda. *Dan.* vi. 2, 3. *Placuit Dario, ut conſtitueret ſuper regnum Sa-*

Satrapas centum & viginti, qui essent in toto regno. Super eos vero principes tres, ex quibus Daniel unus (erat) *ut Satrapæ isti essent dantes illis rationem, nec Rex esset damnum patiens. Tunc Daniel hic fuit Superans principes & Satrapas, propterea quod Spiritus excellentior in Ipso, ideo Rex cogitabat constituere eum super totum regnum.* Mox ab aulæ sectatoribus struebantur insidiæ, sed quæ ad auctorum perniciem Divino mirac lo vertebantur, ut Darius edicto solenni & publico, legem de colendo DEO Danielis sanciret. Atque ita floruit Daniel rebusque usus est prosperis Dario Medo Cyroque regnante. *Dan.* vi. 26, 27, 28, 29. *Darius Rex scripsit omnibus populis gentibus & linguis, qui habitarunt in omni terra, Pax vestra multiplicetur. A coram me positum est edictum, ut in omni dominio regni mei vereantur & timeant a coram Deo Danielis, quin Ille* (est) *Deus verus & permanens in Secula, & regnum ejus quia non interit, & dominatio ejus* (est) *ad finem usque. Eripiens & faciens signa & miracula in cœlo & in terra, quoniam eripuit Danielem è manu leonum. David autem hic feliciter egit in regno Darii & in regno Cyri Persæ.* En quanta in potentia fuerit Divinus vates. Sedekiæ בנו adscripsit Clericus; neque enim non adscribere poterat. Verum ne contendendus quidem cum Daniele videtur. Undecim annis Judæis præfuit Sedekias, at multo diutius non Judæis modo, qui sub Chaldæorum & Persarum imperio vivebant, sed ipsis Chaldæis Persisque Daniel præfuit. Sedekias Hierosolyma tenuit in sua potestate: erat quoque in ditione circumjacens regio, sed Ægyptiorum & Chaldæorum incursionibus direpta, vastata, & tantum non perdita atque destructa. Daniel vero Babelem à qua tot potentissimæ gentes, tot ampliſſima regna jura petebant, & postea CXX.

provincias moderatus est ac gubernavit. Is quem Turcicus Imperator majoris ac reliquos à consiliis omnes facit, cujus sapientia fideque plurimum nititur, quem in altissimo ampliſſimoque dignitatis gradu locatum cupit, cui provinciarum omnium curam delegat & committit, is sane regulo cuidam, is Walachiæ aut Moldaviæ Principi potentia & auctoritate non cedet. Haud ille obnoxios Turcorum imperio Principes (nam & Sedekias regnum Nebucad Nezari acceptum tulit, quamvis poſtea fidem sanctiſſimo jurejurando confirmatam turpiter magnoque suo malo falleret, vid. 2 *Chron.* xxxvi. 10, 12.) observabit, venerabitur, colet, quos sui potius habebit obſervantiſſimos qui magna in parte felicitatis ponent, si tantum Virum officiis non solum prosequi, sed & benevolum sibi reddere ac quasi devincire contingat. Nec difficilis æstimatio est, Dariine an Danielis majores in administrando imperio partes fuerint, cum ille titulis & alieni laboris fructu gaviſus, hic curis ad salutem regni, & redituum conservationem pertinentibus defunctus sit, Quare B. Lutherus non procul habuit existimandi causas, regium nomen Dario, munus officiumque Danieli deberi, hunc si non verba titulique magnifici, sed argumenta rerum spectentur, omnibus Abrahami posteris, hunc ipsi Josepho, Davidi & Salomoni potentiæ & imperii amplitudine præcelluisse. Adeo Judæis scéptrum captivitate Babylonica non fuit ereptum!

XXXI. Nemo tamen existimet, id sibi Jacobum vocabulo יסור voluisse, Remp. Judæorum ad Christum usque perpetuo florituram. Non hoc Divinus Spiritus Patriarchæ, nec Patriarcha filio promisit. Prorsus recessurum, penitus & omni ex parte auferendum negat. Adhuc in viventibus est,

eſt, qui cum graviſſimo conflictatur morbo, cuju membra proſtratis debilitatiſque viribus officiun non faciunt, qui ægre trahit ſpiritum, ſinguliſqu momentis novo genere dolorum affligitur. Sic Reſpublica ſceptrum habere poteſt, quamvis tueatur ægre, concatenatiſque cladibus, injuriis hoſtium, ludibriis, & ſummo denique imperio fiat obnoxia. Ut eodem quo præcedenti paragraphe uſus ſum, exemplo rem illuſtrem, Valachiæ Moldaviæque Principes Turcorum Imperatori quotannis tributa pendunt. Tenentur auxiliares mittere copias, ſi Turci moveant in hoſtes. Si Princeps juſſa Imperatoris dextre minus, minus prudenter exſequatur, præſentiſſimam dignitatis amittendæ periculum incurrit. Suis tamen Walachi Moldavique legibus vivunt, à ſuis reguntur Principibus, ut שבט iis & מחקק nequaquam denegari queat. Eadem Judæorum fortuna erat, cum à variis, quos Deus impium cultum ſceleraque vindicaturus immittebat, hoſtibus eo anguſtiarum redigerentur, ut ad eorum voluntatem ſe componerent, ac tributo gravi, & indigna forti populo ſervitute redimerent pacem. Inclinatum iis temporibus ſceptrum rectius dixeris quam confractum. Manebat enim Reſpublica, ſed quæ multum degenerarat à priſtina claritate. Debile erat Reipublicæ corpus, non deletum penitus aut ſublatum. Jacobi vaticinium diligentius expendentes gravem tum ponderoſiſſimum rebuſque tam accurate convenientem ſermonem mirandi, tum confirmandi animum & erigendi cauſam reperiebant. Probabat experientia, deprimi Judaicæ tribus ſceptrum poſſe, excuti manibus & auferri non poſſe. Hoc promiſerat Jacobus non illud. Si Hoſeæ & ſucceſſorum quos Joſias habuit, tempora contendamus, vicerunt Aſ-

ſyrii X. tribus, & debellarunt. Migrandum non ſolum veteribus colonis fuit, ſed & novi ſucceſſere. Judæorum vero terra ſuis habitatoribus deſtituta jacuit, & Divini Scriptoris phraſi *ſua Sabbatha exegit*, aliis colonis neutiquam ceſſit. Ut vel inde eminentia tribus Judæ appareret. Vid. *Celeb. Schmid. Coll. Bibl. in h. l.*

XXXII. Paucis conſiderari merentur Clerici verba, quæ p. 304. a. f. ad vocem שבט illuſtrandam attulit. *Vox* [illegible] *oſtendit de ſceptro regio agi. Alii tribum vertunt, ſed durior eſt interpretatio: non recedet tribus à Juda, vix dici poteſt abſit tribus Juda non deſinet eſſe tribus nec ſimile uſpiam exemplum eſt. Nonnulli Reip. ſpeciem, quod eodem incommodo laborat.* Recte quidem prudenterque animadvertit, duram eſſe phraſin & à rationibus Hebræi ſermonis remotam. *Non recedet tribus à Juda.* Id enim non ſolum Celeberrimi Interpretes olim jam admonuere, ſed & res ipſa planum manifeſtumque fecit. Aliter vero illorum ſententia comparata eſt, qui Reipublicæ ſpeciem intelligunt, & ita omnino, ut eodem incommodo non laboret. Etenim Juda tribus erat, Reipublicæ ſpecies non erat. Hinc utriuſque phraſeos diſcrimen intelligi poteſt. Cum Wenceſlao imperium abrogaretur, non *recedebat* Imperator à Wenceſlao, ſed imperium. Nihilo tamen minus *Imperator deſinebat eſſe.* Sic ſublata prorſus Judæorum Republica, recte Judaicus populus nullam amplius Reipublicæ ſpeciem habere, recte *Reipublicæ ſpecies à Judæis receſſiſſe* dicebatur. Haud accurata autem dicendi ratio fuiſſet, *receſſiſſe tribum à Juda*, eo quod tribus amplius non eſſet. Alias שבט nec regium tantummodo ſceptrum (ad hos fines enim Clericus vocabulum redigit, ut ad ſolos Reges reſpici conficiat) ſignificaret. Qui

enim

enim regia dignitate Judaicæ gentis imperium administrabant, non ipsum erant sceptrum, quod habebant.

XXXIII. Sic adeo nihil exploratius arbitror, quam Clericum in prima vaticinii Jacobæi phrasi (לא יסור שבט מיהודה) nullam exploratam rationem ad Christianorum de Shilo sententiam confutandam reperisse. Jam de voce מחקק ita commentatur. *Idem* inquit *hac voce significatur, ac antecedente* שבט *more Hebræorum Synonymis passim utentium. Hinc* οἱ *LXX habent* ἡγούμενος *h. e. dux, ut interpretatur Vulgatus, sensum etiam potius, quam vocabuli proprietatem sequutus.* חק *est lex aut edictum, unde* מחוקק *est, aut qui leges condit, aut qui jus ex legibus dicit, quod faciebant Reges ex Juda oriundi, aut saltem Judices ab iis constituti. Hinc Rex Judex & Mechokek interdum quasi Synonyma conjunguntur.* Es. xxxiii. 22. Jehovah Judex noster, Jehova מחוקקנו *mhokekenu:* (ita enim legendum est, non נו *ni*, quod Hebræi sermonis rationibus non convenit) Jehova Rex noster. *Atque ut intelligas hunc tribui Judæ titulum peculiariter competere,* Ps. 108. 9. *à Psalte Juda dicitur* מחוקקי *legislator meus, quo in loco à LXX. Interp.* βασιλεὺς *vertitur, ut apud Esaiam* ἄρχων. *In hoc Geneseos loco Onkelos habet* סבראי *scriba h. e. legis interpres de Judicibus Jerosolimitanis vide* 2 par. xix. 8. Quod מחוקק & שבט Synonyma dicit, illud supra Par. xxiix. in rem meam converti, qua etiam de causa pars hujus commentationis ibi allata fuit. Nunc illud annotare juvat. Clericum minus considerate curateque in hoc vocabulo explicando versatum. Jacobum per שבט regium solummodo sceptrum indicare statuit, porro שבט & מחוקק *Synonyma*, quæ idem significent, esse docet, mox Judices à regibus constitutos in partes vocat.

vocat. Pag. 305. a. in. integram phrasin ומחקק מבין רגליו iterum ad *Judices* refert, *qui ad pedes Regis tribulis sui sederent, aut prociderent ejus mandata accepturi: hos siquidem lectio* רגליו *genuina sit, nunquam defuturos prædici, dum staret Judæ tribus.* Quæso quomodo hæc cohærent? Num constituti à Rege judices regium sceptrum tenuere? num Josaphato summam rerum administrante gens Judaica tot habuit Reges, quot dirimendis controversiis in communitis Judaicæ regionis urbibus præficiebantur? Num illi, qui flexo genu ad venerationem se componere debebant, ut Regis mandata acciperent, regio sceptro regiaque dignitate gaudebant. An מבין רגליו vera germanaque lectio sit, dubitat Clericus, negare vero cupit magis quam audet. Non igitur afferenda erat eo pertinens interpretatio, ut quæ modo dicta indicta, quæ modo rata fuerant, irrita redderentur. Aliam quærere oportuisset.

XXXIV. David utique *Ps.* lx. 9, *Ps.* ciix. 9. ad vaticinium Jacobi respicit. Introducit autem Ecclesiam de incrementis suis verba facientem. Hæc Judam suum מחקק appellat. Id cum afferimus, non nostro stamus judicio, sed Pauli nitimur auctoritate. Is *Ps.* lxiv. de cœtus Christo ab Apostolis collecti calamitatibus interpretatur *Rom.* iix. 36. Quem si cum LX Psalmo contenderis, facile intelligas, idem utriusque argumentum esse, & Davidem victoriis, quas ab hostibus suis reportaverat, ad canenda Ecclesiæ tropæa excitatum vid. *Ps.* lx. 1. Quare autem Juda מחקק vocatur? Iterum causa in promtu erit, modo pronunciatum Christi *Luc.* xxiv. 47. & *Esaiæ* vaticinium cap. II. 3. consideretur (unde tamen, quod obiter noto, adversariis in quæstionibus, quæ iis nobiscum de discrimine legis

&

& Evangelii intercedunt, ne tantillum quidem præſidii naſci Theologi noſtri jamdudum firmiſſime probarunt.) Proinde David nos admonet N.T. Eccleſia naſcente redactum quidem ad incitas Rempublicam Judæorum iri, Brevi affore tempus, quo ſceptrum, quo Legiſlator penitus à Judæis auferatur. At nihilominus Judam fore מחקק ſed Eccleſiæ, ſed alio *Spiritualique* modo. Quod ſane indicio eſt, Jacobum quoque ad Chriſti tempora reſpexiſſe.

XXXV. Satis de voce מחקק: Quod eum ſignificet, qui leges condendi jus habet, qui etiam ſecundum leges jam latas Rempublicam cum auctoritate & imperio adminiſtrat, vel ipſius Clerici confeſſione patet. Phraſin מבין רגליו interpretaturus Samariticum Codicem in ſubſidium vocat. *Sed* inquit, *forte hoc in loco emendatior videtur Samariticus Codex, qui habet* רגליו *è mediis ejus vexillis. Facile mutari Daleth in Reſch, cum in Hebraico, tum in Aſſyriaco charactere propter figuræ affinitatem potuit, quod & alibi accidit, ut ipſi obſervavere Maſſorethæ*, 2 Reg. xvi. 6. *Cæterum vexilla Judæ dicentur ejus poſteri metaphora ex re militari ducta.* Non recedet è mediis ejus vexillis, *idem erit, ac ſi diceret Jacob, juris dicendi jus ſemper erit penes aliquem eorum, qui evocati ad militiam vexilla Judæ ſequerentur. Unicuique autem tribui fuiſſe ſua vexilla docemur*, Num. II. pag. 305. a. in. Tribus habuiſſe vexilla, quibus diſtinguerentur, conſtat. Eo vero reſpexiſſe Jacobum nec Clerico conſtat, potuiſſet autem conſtare, quod non reſpexerit, ni Codici Samaritico nimium tribuiſſet. Infelix eorum conatus eſt, qui Hebræum Codicem ex Samaritano corrigere aggrediuntur. Cum enim Hebræus emendatiſſimus ſit, cum nullus in illo error reperiri queat, non ſolum fruſtra ſed

& male impieque laborem consumunt. Hebræum deserere, Samaritanum consectari ejus est, qui exlutulento rivo, quam puro fonte aquam haurire malit. Samaritanum sæpe scribentium insciti, sæpe procaci libidine & audacia, interdum quoque superstitionis tuendæ studio corruptum depravatumque dolent magis docti, quam mirantur. Resch cum Daleth à Samaritanis scribis per insciti facile commutari potuisse fateor: at in omnibus Hebræi Textus exemplis Resch pro Daleth poni non tantum non facile, sed & prorsus non potuit. Haud illud Divina providentia permisisset. Jota unum, apex unus totum cœli terræque complexum superat dignitate. vid. *Matt.* V. 18. Nec adductus ex Masorethis locus perperam ר pro ד positum fuisse probat. ארומים 2 *Reg.* xvi. 6. Kethibh, sed ארומים Keri esse notant. Utrumque vero recte dicitur, & omni vitio ac errore caret ut vel ex Nebucad Nezaris, qui & Nebucad Nezar vocabatur, exemplo luculenter apparet. Præterea autem Hebræi sermonis ratio manifesta obstat, quo minus Codicem Samariticum sequi, & דגלו pro רגליו legere possimus. Non enim litera tantum, sed & vocales, tum mutari deberent, tum transponi. Degalaf non daglaf à Jacobo fuisset dicendum.

XXXVI. Quid sequentia Jacobi verba עד כי יבא שילה significent, dubium & incertum putat. *Horum dubius est sensus, quippe quæ possunt ita intelligi, ut dicat Jacobus, antequam venerit Shilo, vel id quod hac voce significatur, non destructum iri Judæ regnum, licet id regnum postea aliquamdiu stet; vel ut innuat, regnum hoc finem habiturum fuisse adveniente Messia, nec ulterius futurum. Utrum sit intelligendum, solus eventus docere potest, sed prius debet nobis de ipso eventu, qui hic restituitur, constare. Notum præterea est, voce*

donec non ſemper excludi tempus, quod ſequitur eum eventum, cui ea particula præfigitur, vide ſupra ad Cap. XXVIII. 15. *Quomodo autem ſit exponenda, res ipſa ſi modo loquenti ſatis nota fuit, oſtendit. Chriſtiani, ex eventu interpretationem petentes, ajunt vaticinium in eo impletum eſſe, quod in Judæ tribus agro, & inter Judæ poſteros nondum extinctum prorſus eſſet regnum, cum Jeſus Chriſtus natus eſt. Qui finem regni proſapiæ Juda ſpectari crederet, is vocem donec frequentiſſimo ſenſu exponeret, eaque notari Davidicæ ſobolis regni terminum contenderet.* p. 332. a. f. Ita vero non dubia aperiuntur perſpicuis, ſed perſpicua dubiis tolluntur. In Indice operis, de vocum quæ Jacobi vaticinio comprehenduntur, ambiguitate conqueſtus eſt, addens *Judæos in iis latibula quærere, ex quibus à noſtris interpretibus elici nequeant.* v. ſupra §. XIIX. Quod ſi præter alia verba hæc עד כי יבא denotavit, haud equidem video, quid inde præſidii repetere Judæi poſſint. Senſus totius pronunciati, *non recedet ſceptrum donec venerit Shilo* perſpicuus eſt, nec difficili aut curioſa inveſtigatione indiget, intelligeturque ſtatim, ubi verba ſine præjudicata opinione lecta fuerint. Sceptrum ante adventum Shilo receſſurum negatur: tamdiu itaque tribus Judæ ſceptrum habitura erat, donec Shilo adveniret. Id ut animo menteque concipiamus, verba non tam docere, quam cogere videntur. Quod ſi jam porro conſtet, Shilo Meſſiam ſignificare (conf. autem ſupra §. XIIX. Clerici pronunciatum, *quamvis Judæi voce* שילה *Meſſiam ſignari confiteantur, in ambiguitate reliquarum vocum latibula ſivi quærunt, &c.*) habemus, quo firmiter confutemus Judæos, cum Meſſiam adveniſſe inficiantur. Experientia enim comprobat, receſſiſſe ſceptrum à Judæis. Hoc ſatis eſt ad Judæos arctiſſime conſtringendos. Statim *poſt adventum*

ventum Shilo ſceptrum receſſurum à Jacobo non dicitur, neque adeo ad ipſum verborum ſenſum facit. Id tamen tum ex iis tum vero imprimis ex ſubſequentibus, ולו יקהת עמים prudenter colligi & animadverti poteſt, adveniente Meſſia res in eum ſtatum fuiſſe redigendas, ut ſceptrum indies magis magiſque imminueretur donec tandem prorſus *recederet*. Nam Jacobi de conſervando ſceptro promiſſum non niſi ad ea tempora ſpectat, quæ יקהת עמים venienti Shilo præſtandam præceſſere. Diutius id ſibi Judæi vi Jacobeæ quidem promiſſionis polliceri non poterant, imo ne ſperare quidem, ſi gentis impietatem & Danielis clariſſimum vaticinium Cap. IX. contemplarentur. Tum verò Jacobus in collaudanda Judæ felicitate verſatur: eam magnificentiſſimis deſcribit verbis. Huc totum octavum nonumque comma reſpiciunt. *Jehudah, te, te* (inquam) *laudabunt fratres tui, manus tua erit in cervice hoſtium tuorum, incurvabunt ſe tibi filii Patris tui. Catulus Leonis Jehudah, à præda aſcendiſti fili mi, curvavit ſe ſicut Leo, & ſicut Leo vetus, quis excitabit eum.* Quare, ſi perpetuo duraturum ſceptrum, ſi tribus Juda nunquam leges ferendi poteſtate caritura fuiſſet, non omiſiſſet opinor rem tantopere ad gloriam Judæ pertinentem, quæ verbis pauliſper immutatis efferri exprimique poterat. Cur autem Meſſiæ tribuit יקהת עמים ? nonne ut oſtendat, longe aliam rationem ſceptri Meſſiani fore: hoc nequaquam ad terrenorum regum morem compoſitum iri, ſed ita, *ut Meſſiæ* (verba ſunt Celeberrimi Schmidii Coll. Bibl. Parte priori p. m. 180.) *omnes populi in ſua quiſque politia obedire poſſint ?*

XXXVII. Quapropter in erratis eſt, quod Clericus confidenter aſſerit, *ſolo nos eventu* de *phraſeos* עד כי יבא *ſenſu edoceri.* Ipſa nos verba eum docent, eventus rem ex verbis cognitam & perſpectam magis illuſtrat & confirmat. Ceterum liceat ex Clerico quærere, quid illa ſibi oratione velit. *Quomodo autem ſit exponenda,* (nimirum particula עד) *res ipſa, ſi modo loquenti ſatis nota fuit, oſtendit.* Quod pace Viri dixerim, aut funiculum nectit ex arena, aut proditi à Jacobo vaticinii veritatem in dubium vocat. Finge, rem, de qua vaticinatur Jacobus, ſanctiſſimo Patriarchæ ſatis notam non fuiſſe. Num inde legitima conſecutione efficitur, particulæ עד ſignificationem ex re ipſa perſpici non poſſe? Quæ *Daniel* cap. xii. audivit, ea ſe non ſatis intellexiſſe profitetur. *Et ego* (quidem) *audivi, ſed non intellexi. Dixi ergo, Domine, quid tandem iſta? Verum dixit; Abi Daniel, quoniam occluſa & obſignata* (ſunt) *verba uſque ad tempus finis. Vir* tamen, *qui indutus linteis erat,* reſpondet המשכילים intellecturos. Nihil ergo ad rem faciunt verba Clerici, *ſi modo res loquenti ſatis nota fuit.* Quod ſi vero fateri nolit fruſtra à ſe adjecta eſſe, tum ita ſibi perſuadeat oportet, nullam rem à Jacobo recte accurateque prædici potuiſſe, quam ipſe non ſatis perſpexerit. Num autem probe hanc intellexerit, an minus, Clericus incertum putat. Unde jam prona conſecutione fluet, Clericum etiam de eo dubitare, utrum Jacobus recte accurateque vaticinium prodiderit. Vel ergo fatendum Clerico, prorſus ab inſtituto aliena eſſe verba, in quibus confutandis jam verſamur, vel Jacobi fides & auctoritas convellenda. *Si prius,* inutilem, *ſin poſterius* impiam Clerici orationem quivis intelliget ac deprehendet.

XXXVIII.

XXXVIII. *Vocem* donec *ſenſu frequentiſſimo exponi, ſi finis regni proſapiæ Judaicæ intelligatur*, p. 303. b. dicit Clericus, ſed non probat. Quare, quod verbo aſſeritur, verbo confutari poteſt. Vocabulum שילה Interpretes valde exercuit. Hinc ut ſuæ ſententiæ tanto facilius fidem conciliet, aliorum interpretationes refellit. Enumerat autem non omnes, ſed præcipuas, ſed *illas*, quæ *ſenſum non omnino ſpernendum complecti videantur*. Monet, *Interpretes velut in duas abire partes: Alios ita legendum cenſere, ut nunc legimus in Codicibus noſtris: alios vero alia ei puncta addere, Iod omittere, pronomenque relativum cum pronomine affixo tertiæ perſonæ eſſe dictitare, &c.* Ut pauciſſimis me expediam, nulla mihi ratione probantur, quicunque vel literas mutant, vel vocales. Religioni habeo, vim inferre ſacro Codici, addere quicquam, aut detrahere. Non eſt boni interpretis, ingenio plus niti quam textu. Abſit à Literis Divinis falx. Fugienda audacia, temeritas averſanda eſt, ſi verum germanumque divinioris ſcripturæ ſenſum perſpicere cupimus. Non igitur eos, qui שלו aut שליה pro שילה ponunt defendere aggrediar, aut excuſare.

XXXIX. Neque vero illis me adjungo qui de vocabuli שילה *derivatione* prorſus non ſunt ſoliciti. Scribit enim, p. 303. b. *quoſdam* שילה *pro nomine Meſſiæ habere, undecunque tandem ea vox deducatur, cum propter traditionem majorum, à Chaldæis Paraphraſtis expreſſam, tum quia litera* בא שילה *juxta earum in numeris poteſtatem eandem ſummam ac literæ vocis* משיח *efficiant*; *nempe* 358. Hi quidem recte ſtatuunt, referendum ad Meſſiam locum, etiamſi vel maxime non poſſet oſtendi, undenam deſcenderet שילה, & quidnam proxima ſignificatione indicaret. Ulterius tamen omnino progrediendum eſt,

cum

cum via pateat. Chaldæi Paraphraſtæ ad Judæos coarguendos non parum valent: multo magis tamen ipſo vaticinio nitimur. Hoc enim tantum Paraphraſtarum teſtimonio, quantum Divina auctoritas humanæ præſtat. Quod vocabula יבא שילח literis ad numeros redactis, eandem, quam משיח ſummam conficiant, ipſi Judæi annotarunt. Quid ergo prohibet, quo minus Judæis opponatur. Cum שילה ad Moſen referunt, cum à numero CCCXLV. qui utraque contineatur voce, argumentum petunt, *cf. Faal Turim in h. l.* juvat homines non tantummodo ipſa rei ratione, ſed proprio quoque invento confutare. Non autem propterea quicquam omittendum, quod ad illuſtrandum vaticinium facit. Operæ pretium eſt, cauſam quærere, cur Meſſias שילה appelletur, cum non lateat obſcuritate involuta, ſed facile reperiri poſſit. Alii jamdudum invenere, inventam commonſtrant, & quanta ſuavitate animum ſibi commoverit, teſtantur.

XL. Qui à *profluvio* ſignificationem arceſſunt, ne quidem merentur confutari. Etenim confutationem ſecum ferunt. Nec in tam abſurda ſententia refellenda tempus ponendum, quod auctores in ea excogitanda male perdidere. Multo melior eſt eorum ſententia, qui vocabulum ובשליתה *Deut.* 28. 56. huc afferunt, & שילה *ſecundinæ filium* interpretantur. Multo vero meliorem dico, non optimam non veriſſimam. Quod inter שילה & שליה inſigne diſcrimen intercedat, vel primo apparet conſpectu. Sunt, qui שליה *Deut.* 28. 56. de recens natis infantibus interpretentur, ſed minus recte. Nam שליה filiis opponitur ובשליתה *& ſecundinæ ejus excuuti ab inter pedes ejus, & filiis hujus quos pariet.* Non ergo שליה filium ſed ſecundinam

notat. Porro שילה filium notasse doctissimi quidam Viri tradidere. Nec desunt Judæi, qui consentiant. At vero nullum ejus rei exemplum in Hebræo Codice, unde tamen de Jacobi verbis imprimis judicandum est, reperitur. Itaque res eo redibit, ut Messias vel *secundina*, vel *secundinæ filius* oratione ad figuram conformata appelletur. Utrumque autem cum durum & longius petitum sit, alio potius animum convertamus.

XLI. שילה ab eadem radice, à qua שליה descendit, originem ducere fateor, quamvis idem quod שליה notat, significare non existimem. *Alii* inquit Clericus, *derivantes vocem inde à* שלה *salvus tranquillus fuit, pacificum interpretantur.* In his celeberrimi sunt Interpretes, quos omnino mihi sequendos arbitror, non tamen auctoritate sed argumentis rationibusque adductus. Omnia in expedito versantur, si hanc amplectamur sententiam. Quod שלה ad pacem tranquillitatemque describendam pertineat, exempla plurima ostendunt, loquuntur, clamant. Nebucadnezar prorsus ad tranquillitatem compositus erat, nullas metuens turbas, nullis curis, nulla solicitudine jactatus. Agebat ex animi sententia, vigebat, florebat. Felicissimum statum verbis expositurus inquit. *Dan.* iv. 1. *Ego Nebuchadnezar* שלה הויית *quietus* (tranquillus) *eram in domo mea & virens in palatio meo.* Pacem Hierosolymis, pacem iis, qui Hierosolymis bene cupiunt, precaturus David, שלום, שלוה, & ישליו suavissima piis animis vocabula inter se commutat. Ps. cxxii. 6, 7, 8. שאלו שלום *Petite Pacem Hierosolymæ* ישליו *quieti* (tranquilli) *sint amantes te.* *Sit* שלום *Pax in antemurali tuo* שלוה *quies* (tranquillitas) *in palatiis tuis. Propter fratres meos & socios meos loquar age* שלום *pacem in te.* Jobus cap. xii. de eo conqueritur, quod

quod prosperis rebus fruantur mali, quod boni affligantur calamitatibus. *V. 6.* שליו *tranquilla sunt tentoria vastatorum & securitates* (sunt) *irritantibus Deum.* Verba Dei *Jerem.* xxii. 22. דברתי אליך בשלותיך recte convertunt Interpretes, *locutus tibi sum in tranquillitatibus tuis.* Proinde nulla ratione in controversiam vocari potest, שלה pacis & tranquillitatis vocabulum esse, Ab hac vero radice שילה etiam, quod in illustri Jacobi vaticinio legitur, exsurgere dubitationem non habet. Literæ, ut *technici* vocant, *radicales* apparent omnes. Nihil invenit Clericus, quod objiceret, præter Iod. *Vix potest*, inquit, *ea derivatio admitti si scribatur* שילה *cum Iod, ut multi, quibus hoc arridet interpretamentum, scribendum censent*, p. 303. m. Imo vero ita omnino scribendum est, ut in Codicibus Hebræis scriptum reperitur. Qui aliter scribendum censent, à temeritate neutiquam absolvi queunt. Nihil autem nostræ sententiæ obstat Iod, quod urget Clericus. Nemo קימוש à קמש deducendum derivandumque negabit, eo quod Iod inscriptum habeat. Nemo de vocabulo קימור controversiam movebit, an à קמר descendat, an minus, nec alias derivandi rationes solicite quærendas arbitrabitur. בידור à בדר, שיחור à שחר deducendum nemo in dubium vocabit. Non aliter cum voce שילה comparatum, non aliud de ea judicium ferendum est. Tantum abest, ut *Iod* huic *derivationi* fidem adimat, ut potius conciliet. Constabit adeo, quid Shilo proxima significatione notet: in promtu erit causa, cur Jacobus Messiam hoc nomine appellaverit. Hostes eramus Dei, quem peccatis gravissime læsimus. Nihil nobis supererat, quo Supremi Numinis ira leniri, minui, placari posset. Vindicari scelera, æternisque nos pœnis devoveri justitia Di-

vina poſtulabat. Adeo ſpes omnis recuperandæ amicitiæ cum Deo occiderat. Sed reconciliavit nobis Patris voluntatem Filius, dum ſponte ſuſcepit pœnas, quas à nobis invitis perferri oportebat. Sic nobis in gratiam reſtitutis pacem reddidit, ut æterna tranquillitate frueremur. Eſt adeo vere Shilo, eſt שר־שלום Princeps pacis, ut *Eſaias* cap. ix. 6. appellavit. Sempiternæ pacis Auctori & Principi ſempiternæ gratiæ, laudes ſempiternæ debentur.

XLII. Sed ponderanda quoque momentis ſuis interpretatio eſt, quam Clericus attulit. Ut de mente Viri accurate conſtet, operæ pretium erit adſcribere locum, quamvis paulo prolixior videatur. *Sunt*, inquit, p. 303. a. num. iv. *qui velint, Jacobum Judæ nihil aliud polliceri, niſi poſtquam ſemel in ejus tribu dignitas fuerit regia, nullum alium in locum tranſlatum iri, ſed in ea perſeveraturam, donec prorſus intercidat. Hi interpretantur* שילה *finis ejus, ſeu ceſſatio ejus, nempe ſceptri, & regiæ poteſtatis, quod quibus rationibus nitatur, in ſingulorum verborum expoſitione videbimus. Hoc autem ſi verum eſſet vocis interpretamentum, nihil in Jacobi verbis vel minimam crearet difficultatem. Manifeſtum enim ex hiſtoria eſt, ex quo David in ſolio Iſraelis ſedit, ejus poſteros Reges ſine aliorum mixtura Judæ tribui præfuiſſe, donec prorſus deſtructum ſit Judæ regnum. Contra in X. tribuum regno, regia dignitas, antequam à Salmanaſſare plane peſſundaretur, non in una ſteterat tribu, ſed in variis, pro varia Regum proſapia fuit. Objici tamen huic ſententiæ potiſſimum poterit, ea oráculum Chriſtianis ab ipſis Judæis conceſſum, quo Meſſiam veniſſe contra hoſce feliciter probare ſolent illi, eripi. Verum non ſemper ſpectandum Interpretibus, quid per Judæos liceat, aut quid cauſæ expediat, ſi verum ſit: ſed quid veritati re ipſa*

consentaneum, non minus ac si nulli nunc in rerum natura Judæi essent, nec ullæ unquam de Messiæ adventu concertationes nobis cum illis fuissent, censeri queat. Ut in expectatione certe liberatoris frustra non fuerunt Judæi, ita omnia loca, quæ de illo exponenda putant, præ nimia, eaque nunc præpostera ejus adventus cupiditate, ideo eum non respiciunt, quia Judæis visum est. Plurima sane V. T. dicta ad Messiam à Rabbinis detorqueri, sine ulla ratione, satis notum iis, qui aut eos, aut Christianorum ex eis collectanea versarunt. Ut ergo vere traditum est ab antiquioribus Judæis, adventurum aliquando Israelis liberatorem: Sic in singulorum locorum V. T. in quibus de eo agi crediderunt explicatione, falli quandoque potuere. Cæterum hæc eo non dicimus, &c. vid. supra §. xxv. Porro p. 304. a. m. ita scribit. Quoniam potissimas hujus loci expositiones afferre cupimus, superest ut ostendamus, qui cum sensu hujus vocis conveniat ea, quam supra minoribus incommodis laborare dicebamus. שילה igitur potest esse, ut jam indicavimus, ἀπὸ τοῦ שילו quemadmodum hoc ipsa Capite vers. 11. est עירה & סוחה ἀπὸ τῶν עירו & סוחו. Ita & 2 Reg. xix. 23. est קצה pro קצו & alibi aliquoties. Deinde שיל juxta Hebraicæ linguæ analogiam deduci potest à radice שול ut גיל ἀπὸ τοῦ גול, חיל ἀπὸ τοῦ חול, צין ἀπὸ τοῦ צוץ, עיר ἀπὸ τοῦ עור aliaque similia. Verbum autem שול idem significabit ac שלה, ut חול idem est, ac חלה, prout solent earum formarum verba confundi. Apud Chaldæos porro, שלה est cessare, desinere, unde & Arabica שאל Schaala est defecit, imminutus fuit. Hinc apud Hebræos שול est limbus, ora vestis: nempe quasi ejus finis, atque hinc etiam שיל finis aut cessatio exponi poterit. Hoc posito finis ejus poterit ad legislatorem aut ad sceptrum referri, aut etiam ad ipsum Judam, ut sententia verborum sit: donec Judæ tribus incolumis erit, nunquam regnum

amittet, ſemel ſibi in Davidica familia collatum. *Nec multum intereſt, ſenſum hunc ſequamur, an ſuperiorem*, &c.

XLIII. Nimis interpretationi ſuæ confidit *Auctor*, dum *nec minimam in Jacobi verbis difficultatem reperiri* tradit, ſi locus illi concedatur. Non parva enim aut exigua difficultate interpretatio Clerici laborat, ſed magna, ſed multo maxima. Indigna Jacobo, & quod majus eſt, Divino Spiritu indigna foret oratio, ſi שילה *finem ceſſationemque* notaret, ut mox videbimus. De teſtimoniis Judæorum, quibus adverſarii vehementer premuntur, ſupra §. xix. dictum eſt. Actum agere nec juvat, nec licet. Non poſſum tamen, quin adhuc aliqua breviter ſtrictimque attingam potius, quam exponam. Si, ut Clericus docet, *Interpretibus non ſemper ſpectandum eſt, quid Chriſtianorum cauſæ expediat*, multo minus ſpectare debent, quid noceat. Judæi ſane præpoſtera nunc adventus Meſſiæ cupiditate ducuntur, cum verum Meſſiam repudiaverint, alium ſibi Liberatorem fruſtra cupiant, ſperent, exſpectent. Sed & præpoſtera minuſque accurata Clerici oratio videtur, *Ut in* expectatione certe liberatoris fruſtra non fuerunt Judæi, *ita omnia loca quæ de illo exponenda putant*, præ nimia, eaque nunc præpoſtera, *ejus adventus cupiditate, ideo eum non reſpiciunt, quia Judæis viſum eſt*. Num illi, qui recte exſpectarunt Meſſiam (de priori adventu loquimur, poſteriorem nos exſpectamus, Judæi ceterique Servatoris hoſtes timeant!) *nimio* Meſſiæ deſiderio tenebantur? num *nimia*, num modum excedens deſideratio Servatoris optimi fuit, quæ quantocunque eſſet, ſatis magna tamen eſſe non poterat? num vel in cogitationem cadit *nimia* adventus Meſſiæ *cupiditas*, antequam præpoſtera eſſet.

Imò

Imo nec id facile conceſſerim Clerico, quod illi, qui diu poſt natum Servatorem vixere Judæi magis præpoſtera adventus Meſſiæ cupiditate, quam clariſſimis ipſius vaticinis verbis eo adducti fuerint, ut Shilo de Meſſia interpretarentur. Non ita ſervire cauſæ, non inde commodi quicquam ſibi polliceri poterant. Chriſtianis hinc argumentum naſcitur, quo Judæos urgeant, non Judæis, quo Chriſtianos adoriantur. Eſt enim Jacobi vaticinium documento, fruſtra Judæos Meſſiam exſpectare cum jam advenerit. Itaque niſi tanta undique luce circumfunderetur, irent potius inficias, agi de Meſſia, quam ut exceptiones alias tanto labore conquirerent. Denique non in cauſa eſt, *utrum Judæi in ſingulorum locorum V. T. in quibus de Meſſia agi crediderunt explicatione quandoque falli potuerint*: id quæritur, utrum Jacobi locum perperam ad Meſſiam retulerint. De priori non pugno: poſteriùs nego. negabuntque mecum omnes, qui rem recta ſecum reputarint via.

XLIV. Quis vero non videt, per quantas ambages Clericus feratur, dum שילה *ceſſationis* potius & *finis*, quam *pacificatoris* ſignificatione convertit. Primo ה pro ו poſitum vult, ſed id levius forte, nec gravem valde notationem animadverſionemque mereri videtur, cum exempla hoc ipſo capite adſint. Ita ad שיל perventum eſt: hinc ad שול progreditur Auctor, mox feſſus quaſi itinere & anhelus שלה reſpicit, ut inde ſignificationem arceſſat. Poſteaquam in ampliſſimo Hebræi ſermonis campo nihil conſpexit, nihil invenit, quod ad fidem infolenti interpretationi conciliandam faceret, vires deſperatione petit, ad Chaldæos, ad Arabes etiam magno flexu viam affectat. Hic fructum operæ ſe reperiſſe putat: hunc totus gaudio perfuſus decer-

pit, quam vero tenuis sit, quam parum habeat solidi, præfestinatione lætitiaque nimia cernere non potest, ut iis ferme evenire solet, qui ingenti labore exantlato exiguum fructum maximi æstimant, ne frustra se fatigasse videantur. Post tot circuitus tandem ad Hebræos redit, & præter spem fortasse ac opinionem שול fimbriam notare videt: hoc iterum cupidissime arripit, hoc ad interpretationem illustrandam vel utitur, vel abutitur. Quanto facilius, quanto expeditius, quanto luculentius totum conficitur negotium, si *pacificatoris* significatione vocabulum שילה convertamus? Non prolixa circuitione utimur: non elaboramus acriter desudamusque, ut violenta interpretatio quodam quasi colore se commendet: שלה à ש ל ה directo deducimus, quod verbum ad pacem tranquillitatemque describendam pertinere tot perspicuis Divini Codicis exemplis manifeste constat. Hebræa ex Chaldæis & Arabicis explicare nil vetat, sed magnam potius laudem & commendationem ea res meretur, ubi Hebræa nos destituunt, ubi apta & congruens interpretatio solius Hebræi sermonis ope inveniri non potest. At sine gravi causa, V. T. Scriptores deserere, Chaldæos & Arabes ad ferendum subsidium non tam vocare quam cogere, haud est ex Hebræi sermonis dignitate. Quis Græcam vocem ex Latina, Latinam ex Gallica, Gallicam ex Anglica, Anglicam ex Germanica lingua interpretatur, cum idem sermo satis vocabulorum suppeditat, unde significatio erui & ostendi possit? Nec Clerici pronunciatum contulisse pœnitebit, quod ea de re dissertatione I. exstat.

XLV. Jam in edisserendo totius vaticinii sensu Clericus sibi non constat. Pag. 304. a. vocabulum ש ל ה ad sceptrum regiamque dignitatem refert,

pag.

pag. 304. vero ad *legiſlatorem*, *ad ſceptrum* vel etiam *ad ipſum Judam* referri poſſe exiſtimat. Adeo non habet conſtitutas interpretandi vaticinii rationes, ut in dubio ſit animus, & paulo momento huc illuc impellatur. Ne glorietur amplius *Auctor*, nova interpretatione nihil in Jacobi dicto relinqui, quod vel minimam difficultatem creet. En difficultatem, quam ſic pertimeſcit ipſe, ut ne audeat quidem perrumpere! Parum intereſſe ſcribit, quem ſenſum ſequamur, ſpernens quaſi contemnenſque nodum, cui ſolvendo non ſufficit. At vero totus hinc vaticinii ſenſus pendet, cum ſciri nequeat, quamdiu tribus Juda ſceptrum retinere debuerit niſi conſtet, cujus, ſceptrine an ipſius Judæ ceſſatio & finis intelligatur.

XLVI. Præterea binæ ſunt propoſitionis, quæ decimo Cap. xlix. *Geneſ.* commate continetur, partes. Una *ſceptrum à Juda*, *legiſlatorem à pedibus ejus receſſurum* negat, altera, quamdiu penes Judæ tribum manſurum ſit, exponit. Hæc ſubſequentibus comprehenditur verbis, *donec venerit Shilo, & ipſi fuerit adhæſio populorum.* Id ex accentuum poſitione colligi promte conficique poteſt. Nam vocabulum רגלי Athnachum habet, hic igitur eſt *maximæ diſtinctionis* ſedes. Jam Clericus vocem ולו referat, quo velit. *Sed ad Judam reſpicere dixerit*, non cohærebit Jacobi oratio, vel illa potius, quam Clericus, ex præclariſſimis Jacobi verbis extorſit. Quid enim? Num finis ſceptro aut ipſi populo imminet, cum aliæ accedunt gentes, cum fidem obſequii obſtringunt, cum imperata promte libenterque faciunt? Tum ſane augetur potentia, & maximis locupletatur acceſſionibus, tum floret populus, rebuſque ſecundis fit multo ſplendidior. Tantum abeſt, ut tollatur ſceptrum, ut tollatur populus deleaturque

Sir

Sin ולו ad שילה *retulerit*, tum explanari velim, quomodo populi gentesque *fini* & *cessationi* adhæreant. Quis unquam ita locutus est? quis orationem tam ineptam absurdamque Jacobo tribueret?

XLVII. Non equidem ignoro, quam parvi Clericus faciat accentus, quibus Codex Hebræus distinguitur. Præmissa operi Dissertatione II. *se punctationem Masorethorum semper sequutum, at Accentuum nullam habuisse rationem, sensu tantum & structura vocum observata*, profitetur. *Peritiam quoque à Magistris hic venditatam*, & *spinis data opera rem facilem obsceptam* scribit. *Denique vel duo prima vocabula Geneseos omnem illam doctrinam confutare.* Verumenimvero frustra sunt, quicunque nobilissimam clarissimamque scientiam oppugnant. Etenim firmiter perstant argumenta, quæ doctissimi celeberrimique Viri ad Hebræorum accentuum Divinam auctoritatem probandam attulere. Quantam utilitatem præbeant accentus, hic demum recte & accurate edisseret, cui præstantissima doctrina cognita est ac perspecta. Nil mirum, si alii rosas à spinis discernere non possunt. Nulla præclara scientia destituitur aculeo, quo imperitos injustosque contemtores pungat. Id si moleste ferunt, cogitent se ipsos esse in culpa. Utrum duo prima Geneseos vocabula omnem accentuum doctrinam confutent, an potius illi quam aptissime congruant, haud difficiliter judicabunt, qui vel prima tyrocinia deposuere. Quid autem ab illa commentatione expectandum, ubi accentuum doctrina prorsus neglecta, repudiata, spreta fuit? ubi nulla eorum ratio habita, sine quibus tamen nemo in Hebræo Codice interpretando vel tantillum progredi inoffenso pede potest. Quoties Clericum labi oportuit, cum hoc adjumento & quasi fulcro non uteretur?

XLVIII.

XLVIII. Ceterum argumenti noſtri vim non effugiet, ſi, ut infra videbimus, יקהת עמים de Iſraeliticarum tribuum conventu, non autem de gentium nationumque obedientia interpretetur. Ponamus rem ita ſe habere, ut Clericus tradit, convertendus igitur ex accentuum lege locus erit. *Non recedet ſceptrum à Juda, & legiſlator à pedibus ejus, donec venerit finis ejus, & ipſi ſit conventus populorum.* Atqui Clericus *eos Iſraelitarum conventus* indicari ſtatuit, cum litis difficilioris ergo, cum militiæ cauſa ad Regem tenderent, cum Summum Sacerdotem Levitaſque de rebus ad rituum ſacrorum obſervationem pertinentibus conſulturi Hieroſolymam proficiſcerentur. Num vero vel ſceptrum Judæorum, vel tribus Judaica eo tempore ceſſavit, quo reliqui Iſraelitæ à Juda genus repetentem venerabantur obſequio, quo ſe ad ejus voluntatem componebant, quo Regis judicio dirimebantur lites, Regio mandato hoſtes totius Iſraelis viribus oppugnabantur? Hoccine fit, poſteaquam ſceptrum ceſſavit, leges ferendi poteſtas abolita eſt, tota denique Judæorum Reſpublica finem habuit? Nemo id dixerit, ne Clericus quidem, nemo dictum defenderit.

XLIX. Quocunque porro converterimus oculos quam plane à Jacobi verbis aliena ſit Clerici interpretatio, apparet. שילה ad Judam referendum non eſſe §. LV oſtendam. Ad ſceptrum vero ſolum, aut ad legiſlatorem ſolum nequaquam reſpicit: De utroque enim Jacobus verba fecerat. Negarat *ſceptrum receſſurum* à Juda, negarat etiam *ſublatum iri legiſlatorem.* Utramque igitur promiſſi partem certis temporum finibus circumſcribi. Quid cauſæ erat, cur Jacobus nec שבט nec מחקק uſque ad ſolius שבט aut ſolius מחקק ceſſationem

à trib

à tribu Juda ablatum iri diceret? Atque adeo quid cauſæ eſt, cur שילה, (ſiquidem finem ceſſationemque Clerico notat) ad alterutram potius antecedentium vocum, quam ad utramque referatur? Proinde conſueta loquendi ratio Clerici interpretationi obſtat. Jacobo enim *non ſingularis ſed pluralis numeri pro nomine* (ut technici loqnuntur) utendum fuiſſet. שילם in illuſtri Patriarchæ vaticinio non שילה legeremus. Integrum ejus pronunciatum ſic foret convertendum. *Non recedet ſceptrum à Juda, nec legiſlator à pedibus ejus, donec venerit finis illorum, & illi fuerit adhæſio populorum.* Cum vero Jacobus ita orationem non conformaverit, dura & inſolens eſt interpretatio Clerici, & vel hoc nomine Suſpecta.

L. Clericus vocabulum שילה ad שבט referens *Jacobum nihil aliud polliceri ſcribit, niſi poſtquam ſemel in ejus tribu dignitas fuerit regia, nullum alium in locum tranſlatum iri, donec prorſus intercidat.* Revocanda vero in memoriam ſunt, quæ ſupra § xxix. dixi, ut intelligatur, aliud ſibi Jacobum velle. Non nquam Hebræa phraſis לא יסור שבט מיהודה patitur, ut Clerici ſententiæ locum concedamus. Non l ea indicatur, Judaicæ tribui nullum alium Reem præfuturum, quam qui ab ipſo Juda originem ucat. Nec tunc à populo ſceptrum aufertur, ubi ienigena regnum adminiſtrat. Haud repetenda ito exempla, quibus rem ſupra confirmavi. Addi item longe plurima poſſent, ſi res poſtulare videtur. Syri ad Tigranem regnum detulere: feliores ſe ſub peregrino Rege futuros arbitrati. erva Trajanum in laborum curarumque conſorum aſſumſit, qui Nerva mortuo imperium ea moratione, fortitudine, prudentia geſſit, ut optimus inceps omnium conſenſu haberetur. Septimius

Se-

Severus tantam in adminiſtranda republica diligentiam virtutemque quantam in recuſando imperio pertinaciam oſtendit. Quamvis Opilius Macrinus ex Mauritania oriundus eſſet, malebat tamen Senatus ab eo quam à Caracullo parricida ſublime imperii faſtigium teneri. Julio Maximinio Thraci patria cognomen dedit. Ne jam de Philippo Arabe, de Valentiniano, de Theodoſio Magno, Martiano, Zenone Iſaurico, de Juſtinis, de Juſtiniano, Tiberio II°, Mauritio, Phoca, Michaele Balbo, Balduino aliiſque permultis dicam. Qui cum gubernaculis publicæ ſalutis admoverentur, non tamen propterea *regnum* à Syris, *imperium* à Romanis Græciſque *recedebat*. Quapropter nec ex Jacobi verbis effecerit Clericus, eos tantummodo, qui ad Judam referrent genus, Judaicæ tribus ſceptrum gerere debuiſſe: hos ſolos *regia dignitate ſemel ad Judam delata ſine aliorum mixtura tribum Judaicam moderatos, donec Judæ regnum prorſus intercideret*. vid. §. xxvii. Sufficiebat, ſceptrum penes Judaicum populum eſſe, quamvis peregrinus eo ad rempublicam adminiſtrandam uteretur.

LI. Perperam vero Clericus finem regni Judaici in Sedekia conſtituit, nec perperam tantum, ſed ita quoque, ut cum tota rerum Judaicarum hiſtoria manifeſte pugnet. Negat Judæos ex ſua tribu ullum Regem poſt Sedekiam habuiſſe. Ait, omnes Judæorum Reges ex tribu Juda fuiſſe oriundos. Quid inde aliud ſequitur, quam ſublato Sedekia nullum amplius regia dignitate tribum Judæ moderatum? Quam graviter autem in eo errat, dum tam confidenter aſſerere nititur, quod nemini ignota exempla refellunt? XIII. libri, quem Joſephus de Judaicis antiquitatibus edidit, XIX. Capiti hæc ſuperſcripta legimus. Ὡς παραλαβὼν ἀειστόβουλος τὰ

ἀρχὴν, διάδημα πρῶτος ἐπιτίθεται· Gessit ergo Aristobulus diadema, tenuitque regiam dignitatem, ut Josephus verbis luculentissimis testatur. Τελευτήσαντος γὰρ τοῦ πατρὸς ὁ πρεσβύτατος Ἀριστόβουλος τὴν ἀρχὴν εἰς βασιλείαν μεταθῆναι δόξας ἔκρινεν γὰρ οὕτως, διάδημα πρῶτος ἐπιτίθεται μετὰ ὑ ἀριθμὸν ἐτῶν, καὶ τικαὶ ά, καὶ μηνῶν γ', ἀφ' οὗ τῆς ἀπὸ βαβυλῶνος δουλείας ἀπαλλαγεὶς ὁ λαὸς, εἰς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθε· Aristobulo eodem titulo eademque dignitate Alexander successit. Τελευτήσαντος δὲ ἀριστοβούλου, inquit Josephus, σαλώμη ἡ γυνὴ αὐτοῦ, λεγομένη δὲ ὑπὸ ἑλλήνων Ἀλεξάνδρα, λύσασα τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, δεδεμένους γὰρ αὐτοὺς εἶχεν Ἀριστόβουλος, ὡς προειρήκαμεν, ἰαννάιον τὸν Ἀλέξανδρον βασιλέα καθίστησι· *Libro* xiii. *Antiq. Jud. cap.* 20. Hic Alexandræ uxori regnum testamento reliquit, *vid. cap.* 24. quæ cum fato concessisset, Aristobulus, Alexandri filius natu minor via & armis eo adegit Hyrcanum, ut regia dignitate cederet. *Lib.* xiv, *Cap.* 1. Hyrcanus postea, Aristobulus, & Antigonus varias dedere turbas, & in eum tandem statum res redactæ sunt, ut Herodes Judeæ Rex à Senatu Romano commendatione Antonii declararetur. Olymp. CLXXXIII. C. Domitio Calvino iterum, C. Asinio Pollione Coss. *Lib.* xiv, *Cap.* 26. Nolo jam commemorare alios Reges qui ex Herodis familia originem duxerunt, ne in re nimis manifesta plus operæ consumam.

LII. Quod si jam illud polliceretur Patriarcha, *neminem alium tribus Judaicæ regno præfuturum, nisi, qui ad tribum Judæ referret genus*, eventus vaticinio non responderet. Assamonæi enim non in tribu Judæ sed Levi censebantur. Et ex his tamen, ut Aristobuli, Alexandri aliorumque modo adductis exemplis patuit, fuere, qui regium nomen regiamque dignitatem tuerentur. Adeo non verba tantummodo Jacobi sed & ipsa rerum eventa Clerici sententiam evertunt.

LIII. Ni-

LIII. Nihil etiam magis à Patriarchæ Scopo alienum eſſe poteſt, quam vocabulum שילה finem Judaici ſceptri indicare. Tota Jacobi oratio ad depingendam Judæ felicitatem pertinet. Quantopere Judas fratribus antecellat, quantum honorem ipſius poſteris reliquæ tribus habituræ ſint, quantas reportare victorias, quantum hoſtibus metum incutere debeant, graviter ediſſeruit Jacobus. Magis autem Judas triſtitia quam gaudio fuiſſet commotus, ſi imminentem ſceptro & legiſlatori finem clare aperteque à Parente prædici audiviſſet. Parum in eo ſolatii erat, ſolos Judæos tribui Judæ præfuturos, donec ſceptrum, donec legiſlator prorſus interiret, atque tolleretur. Cito potuiſſet finiri ſceptrum, brevi potuiſſet tolli legiſlator, cum Parens ne minimum quidem adderet indicium, unde cognoſceret filius quamdiu ſceptrum durare deberet. Triſte adeo fuiſſet vaticinium, plus habuiſſet aloes, quam mellis, indignum tanto verborum tanto ſententiarum apparatu, quo Sanctiſſimus Vir ampliſſime quaſi glorioſiſſimeque triumpharat.

LIV. Regeret forte Clericus, ſupra me §. xxxvii. confeſſum, quod aliqua ratione ex Jacobi verbis colligi & animadverti queat, illis quæ Chriſti adventum exceperint temporibus Judæ ſceptrum paulatim imminuendum fuiſſe, donec tandem penitus deleretur. Non igitur omnia, quæ Jacobus vaticinatur, tam læta eſſe feliciaque. Mixta triſtia lætis, & ſecundis adverſa. Verumenim vero perſtat argumentum, quod modo attuli, neque contra me urgeri poteſt. Etenim ſolidum Judæ gaudium ex Parentis promiſſione naſcebatur, quamvis inde conjici ſimul poſſet, terrenum tribus Judaicæ ſceptrum aliquando finem habiturum. Audiebat, per longum temporis ſpatium retentum iri: audiebat, non

non ceſſaturum prius qnam Meſſias adveniſſet. Meſſiæ nomen omnem malorum, omnem calamitatum ſenſum non ſolari tantum ſed & tollere poterat. Minime mirum eſt, maximo ſolis ſplendore exiguam candelam obfuſcari: nec unus rivulus cum Oceano, aut angulus aliquis cum toto terrarum complexu meretur contendi. Res æternas fluxis, humaniſque Divinas præferri par eſt. Noverat Judas, omnem ſalutem ſuam in Meſſia poſitam: noverat hunc unum omnis veræ felicitatis fontem. Nec de cœlo neque de terra ſolicitus erat David, modo Deum haberet. Ita quoque Judas, ita Patriarchæ omnes nulla dominationis cura tangebantur, quandocunque Divinum Meſſiæ imperium ſecum reputabant. Pollicebatur Jacobus, omnes gentes nationeſque omnes Meſſiæ, qui ad tribum Judæ genus relaturus erat, adhæſuras. Terreno Judæ ſceptro aliud ſucceſſurum, idque multo melius multo potentius. Non vi non armis debellandos populos, ſed ſponte obedientiam præſtituros. Fruſtra fore Satanæ & impiorum hominum conatus, qui Judaici ſceptri exitium conſilio deſtinarent. Non enim ante, quam Meſſias veniſſet, ceſſaturum: eo autem adveniente, totum quam late pateat, orbem ad ejus imperii *ſed ſpualis & Divini* leges redactum iri. Hæc ſane oratio nullum dolori nullum triſtitiæ locum relinquebat: hac omnia, quæ Jacobus magnificentiſſime dixerat, tanquam pretioſiſſimo ſigillo obſignabantur. Nemo animum componit ad mœrorem, cum unius agelli, unius villulæ jacturam mente præconcipit, ſi potentiſſimas urbes, ſi regiones ampliſſimas, ſi multo maximos auri argentique theſauros ſe conſecuturum ſciat. Nec adeo Judas tam fuit abſurdus, ut ſummum de Meſſia ex poſteris ſuis naſcituro, de obedientia ipſi à cunctis gentibus

præ-

præſtanda gaudium dolore mutaret, etiamſi vel maxime *terrenum* poſterorum imperium aliquando deſiturum conjectura quadam prævideret.

LV. Vix autem conſtituere poſſum, quid in mentem venerit Clerico, ut ipſius quoque Judæ finem vocabulo שלה ſignificari poſſe exiſtimaret. Hic enim cauſæ ſuæ non ſervit, ſed repugnat. שבט, ut jam ſæpius dictum eſt, de ſolis Regibus interpretatur. Hos ergo & eos tribules quidem Judaicus populus ſemper uſque ad interitum ſuum habiturus erat, ſi שילה notat Judæ ipſius finem. Quid igitur de pronunciato Clerici fiet, cujus mentionem itidem aliquoties injecimus, *poſt Sedekiam nullum è tribu Judæ Regem fuiſſe, ut norint omnes, qui hiſtoriam ſacram à limine ſalutarint?* Num Juda interiit, num populus Judaicus finem habuit, Sedekia ſublato? Num à Babyloniis deleta gens eſt, quæ per tot annos in diſſitis regionibus commorata eſt, quæ Cyro volente & jubente rediit, patriaſque recuperavit ſedes, & Reipublicæ formam per tam extentum temporis ſpatium ſervavit? Falſa ergo ſpe à Jeremia lactabatur, cum promitteret, Deum illis, quibus Diis peregrinis in aliena terra ſerviturі eſſent, temporibus, כלה *cum Judæis non facturum* Jer. C. V. 18, 19. Falſa igitur ſunt, quæ Eſdras & Nehemias, quæ Haggæus, Zacharias & Malachi de inſtaurato à Judæis templo, de reædificata ab illis urbe commemorant. Falſa ſunt, & nullam merentur fidem, quæ Joſephus, quæ Scriptores alii de bellis à populo Judaico diu poſt Sedekiam geſtis, de ſocietate fœderum, quibus peregrinis Regibus nationibuſque conjunctus fuit, de urbibus eorum, de Pontificibus, de potentia, literarum monumentis conſignarunt. Neque Chriſtus neque Apoſtoli Judaico populo ſalutarem doctrinam expoſuere, cum

ante ſeculis prorſus interierit, nec eorum ætate amplius fuerit ſuper. Adeone quenquam incautum eſſe, ut tantos ſcopulos non videat, non ſummo ſtudio totiſque viribus devitet!

LVI. Denique cum commentatione Paraphraſin, cum utraque Prolegomena Clerici componamus. Quanta vi in eo elaborarit, ut illuſtre Jacobi de SHILO vaticinium Chriſto eriperet, maxima ex parte jam vidimus. Vidimus etiam, quænam argumenta ad commendandam interpretationem ſuam attulerit. Nan tamen auſus eſt, ſententiam ſuam addita verſioni Paraphraſi proponere, & explicare. *Regnum*, inquit, *non in Rubenitas, quorum ut dixi, pater primogeniti jure excidit, ſed Judæ ſtirpi collatum in ea perpetuum manebit, donec eo ad quem pertinet, adveniente, penitus evertatur.* Ita quidem LXX Interpretes reddidere. Quod ſi quis ſolum verſionem & Paraphraſin Clerici legat facile ſibi perſuadebit, ipſum LXX Interpretum ſententiam ſequi, huic dare palmam, hanc pro optima veriſſimaque habere. Sed ſi Commentationem conſideret, videbit eam prolixe refelli à Clerico, & duram ac inexplicabilem exiſtimari. Sic enim de ea diſſerit, p. 303. f. 304. in. *Qui volunt quidem de Meſſia hic ſermonem eſſe, ſed aliter legunt, ii olim lectum fuiſſe cenſent Shelloh. Ea voce ita pronunciata ſignificatur* cujus: *nempe cujus eſt regnum aut ſceptrum, vel* quod ei. *Scilicet hic* ה *eſt loco* ו *pronominis affixi* 3 *perſ. quod exemplis ſæpe fieri oſtendemus. Sic legiſſe videntur* οἱ *LXX. qui habent* τὰ ἀπόκειμενα αὐτῷ quæ repoſita ſunt ei, *quod in quibuſdam Codd. exponebatur vocibus* ᾧ ἀπόκειται, cui repoſita ſunt (*nempe* omnia *aut* βασιλεία) *poſtea in textum, ut videtur receptis. Interpretibus LXX aſſentitur Onkelos, ut & Jeroſolimitanæ Paraphraſis ſcriptor, quandoquidem voculam hanc ſic* ὠδροφράζουσι

מלכותא

דדיליה היא מלכותא cujus est regnum. *Atque hæc interpretatio confirmatur verbis Ezech.* C.xxi.27. *ubi similis occurrit loquutio.* Obliquam ponam eam (tiaram) eo modo quo non fuit, עד בא אשר לו המשפט ונתתיו donec veniat, cui est judicium, atque ei dabo eam אשר לו *idem plane est ac* שלו. *Lectioni quoque huic favere videntur Samaritici Codd. qui habent* שלה *sine Iod. Verum licet eam rejicere prorsus nolim, ob auctoritatem Intt. qua nititur, durior tamen videbitur omnibus diligenter rem expendentibus Ellipsis nominativi, quem subintelligi necesse est, si hanc lectionem sequamur. Hoc pacto sensus vaticinii prorsus ambiguus evadit, quandoquidem pro* regno, *quod supplent Paraphrastæ, aut alia vocula receptis interpretationibus consentanea, quidvis aliud æquo jure subintelligi poterit, ut* destructio *aut quidpiam ejusmodi.* Ideoque *in Ezechielis loco modo allato post* לו *sequitur* המשפט judicium, *ne dubitaret Sedekias, quem alloquitur Propheta aut Judæi, qui Jerosolymæ cum Sedecia erant, quin esset in perpetuum ei diadema eripiendum.* Τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ *quæ esse dicentur? Quænam erunt, si hanc sequimur interpretationem,* quæ Judæ reposita erant, aut imminebant? *Ne LXX enim Interpretes dicturos fuisse reor, si rogati fuissent.* Itane vero decebat, duram & talem prorsus interpretationem, quam nec LXX. Intt. recte explicare potuissent, ipsa Jacobei vaticinii Paraphrasi, cui primus à *versione* locus merito debetur, proponere? Cur non illam potius, quam nihil quod vel minimam difficultatem creet, relinquere statuit, hoc, ut ita loquar, honore dignatur? In iis, quæ 2da Dissertatione præfatus est, tegumen se reperisse putat, sed cum nimis sit tenue, pellucebit omnino, modo inspexerimus. *Simili,* inquit, *de ratione* Genes. xlix. 10. *vocem ignotæ significationis Shiloh, non conversam habemus. Ex adnotatis nostris ad eum locum,*

satis liquet, quid sonet ea vox, nemini constare. Qua tamen in re, si eligenda esset sententia, in quam pedibus iremus, nihil tutius videretur, quam ut LXX Interpretum translationem sequeremur, quippe quæ minus Judæorum calumniæ obnoxia est, neque ex studio, quo partes Christianos fovemus, nati videri potest. Atque eodem modo ac illi in Paraphrasi sensum expressimus. Primum enim, quid est quod antiquissimam & tot argumentis, firmissime innixam de Christo interpretationem deserat, si illa omnia, quibus ad speciem novæ sententiæ conciliandam utitur, tam parum ponderis habent, ut adhuc ignota maneat vocabuli שילה significatio? Deinde scire utique velim, quomodo hæc cohæreant cum iis, quæ p. 303. a. monet Auctor, *non semper spectandum Interpretibus, quid per Judæos liceat*, aut quid *causæ expediat, si verum sit, sed quid veritati re ipsa sit consentaneum, non minus ac si nulli nunc in rerum natura Judæi essent.* Vid. §. XLII. Cur igitur tutiora jam verioribus (loquor autem ex hypothesi) præferre suadet, siquidem *sententia eligenda esset quam nostram faceremus?* Cur auctor est, ut ejus sententiæ potius rationem habeamus, in qua refellenda operam posuit, quam ne prorsus rejiciat, sola Interpretum auctoritate, nullis autem rationibus argumentisque se retineri profitetur? Præterea non quidem negare solent Judæi, Hebræum Codicem Ægyptii Regis mandato in Græcum sermonem fuisse conversum. Quomodo tota res gesta sit, apud eum, quo Judæi utuntur, Josephum legere licet. XVII^mo Libri III. Capite prolixe omnia commemoratur, nec omissa fabula, Elasarem atque LXX. Seniores in adornando opere divisos à se invicem & separatos elaborasse. Ceterum Judæi LXX. Interpr. Codicem nec legunt hodie, nec intelligunt. Cumq; *ignoti nulla cupido* esse soleat, quid mirum, si ejus auctoritatem parvi faciant, ne sibi ipsis ignoran-

tiam quasi exprobrare videantur? Frustra igitur homines inde oppugnaveris, quandoquidem à solis *Christianis* hodie possidetur & legitur, quorum fidem acerbissimis calumniis lacessunt. Tum vero, si propterea LXX. Interpretum sententiam Paraphrasi suæ inserendam putavit, *quod minus Judæorum calumniæ obnoxia esset, neque ex studio, quo partes Christianas fovemus nata videri posset*, cur non Chaldæorum Paraphrastarum de Messia interpretationem Paraphrasi sua aperte proposuit? Targumim sane minus Judæorum criminationi patent, quam LXX. Seniorum Codex. Nemo Judæorum dixerit, Chaldæas Paraphrases à Christianis corruptas, cum in eorum sint manibus, cum ab iis exhibeantur nobis offeranturque. Nemo Judæorum regesserit harum Paraphrasium auctores *Christianarum partium studio* vocabulum Shilo ad Messiam retulisse.

LVII. De quo ultima commatis X. verba ולו יקהת עמים agant, obscurum esse non potest. Clericus tamen iterum rebus clarissimis noctem offundere conatus est. *Hanc vocalem* לו inquit, *alii referunt ad eum, quem putant nomine Shilo designari. Ita* LXX. Intt. *quos sequitur Vulg.* αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν, & ipse erit exspectatio gentium. *Atque hoc suffragiis suis firmant omnes pene, qui hisce vocabulis Messiæ regnum describi putant: Sed quemadmodum duo pronomina affixa, quæ hoc antecedunt, referuntur ad Judam: hoc etiam eodem referri orationis series requirere videtur.* p. 305. a. Imo vero id orationis series requirit, ut non de Juda sed de Shilo explicemus. Quam alienus à Jacobi mente, quam indignus Patriarcha divinitus afflato sensus ex Clerici sententia nascatur, vocatis in subsidium accentibus §. xlvi, xlvii. demonstravi. Perperam vero Clericus urget, *duo pronomina affixa quæ hoc antecedant, ad Judam referri.*

Etenim ſine dubio de commate 10° loquitur, cum iis, quæ 8° & 9° reperiuntur additis, non duo ſed multo plura *pronomina affixa habeamus.* Jam vero fatis confutata Viri de vocabulo שילה *finem ejus ſc. Judæ* notante ſententia eſt. Unum igitur pronomen tantummodo præcedit, non duo. Nam ſi Jacobi verba לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה legamus, רגליו *pronomen* ſibi affixum habet, alterum non apparet. Cumque etiam certo ex illis quæ diximus conſtet, שילה de Meſſia explicandum, temeritas omnino foret, ſiquis ולו ad Judam non ad Meſſiam referre vellet. Proprius enim vocabulum שילה, multo remotius יהודה eſt. Sine omni neceſſitate igitur, ac ſine ulla cauſa Shilo præterire, ולו ad Jehudam abripere prorſus non decet.

LVIII. Atque adeo quis non videt, quantum ponderis vaticinio decedat, ſi יקהת עמים non de Meſſia ſed de Juda exponatur. Maximus eſt vaticiniorum Veteris Teſtamenti numerus, quibus Divini Scriptores Meſſiæ in gentes imperium magnificentiſſimis luculentiſſimiſque verbis deſcripſere. Cum Eſaias Cap. ii. 2, 3, 4. poſtremis diebus *ſtabilem fore Jehovæ montem in vertice montium, & elatum ſupra colles; confluxuras ad eum omnes gentes; ituros populos multos dicturoſque: eamus ad montem Jehovæ ad domum Dei Jacobi, qui nos docebit vias ſuas, ut eamus in ſemitis ipſius, &c.* promittit, nonne Jacobi de præſtanda Meſſiæ à gentibus obedientia vaticinium digno verborum circuitu illuſtrat & interpretatur? Cum xi° capite idem repetit, cum *lupum agno, pardum hædo ſocietate conjunctum, terram ſcientia Jehovæ, ut mare aquis repletum, radicem Iiſchai quæ ſtet in ſignum populorum à gentibus quæſitum iri* pollicetur, cum *DEI SALUTIS NOSTRÆ opera populis omnique ter-*

ra

ra prædicanda scribit, nonne prædictam à Jacobo יקהת עמים in memoriam revocat lectoribus vel invitis? Cum xix° Capite, *aliquando semitam ex Ægypto in Aschurem fore, ut veniat Aschur in Ægyptum, & Ægyptus in Aschurem, serviantque Ægyptii cum Aschure, Jehovam quoque Zebaoth benedicturum populo suo, Ægypto, operi manuum suarum Aschuri, & hæreditati suæ Israeli. v.* 23, 25. quis non intelligit, Jacobi promissionem exemplis declarari & exponi? Cap. xxv. 6. summa illa bona, quæ Messia veniente *cunctis gentibus* publico salutaris doctrinæ præconio offerenda erant, cum *convivio rerum pinguium, convivio fecum, pinguium inquam medullatarum, fœcum vero purgatarum & destillatarum* comparat. Cap. xl. 5. *gloriam Dei revelandam*, ut *ab omni carne videatur*. Cap. xli. 1, 5. *insulas* gentesque omnes nihil inventuras, quo impietatem suam tueantur, hinc sancto timore perculsum, hinc pia pristini erroris pœnitentia ductum iri ita docet, ut non possit non legentium animos vehementer movere atque delectare. Cap. xlii. 1, 17. *judicium ad gentes à Messia proferendum, insulas in lege ejus speraturas, fore Messiam lucem gentium, descendentes in mare, & plenitudinem ejus, insulas & habitatores earum Domino cantaturas, desertum & civitates ejus, villas, quas Kedar inhabitet, clara voce una cum habitatoribus petræ tributuras Jehovæ gloriam & laudes.* Cap. xlv. 14. Messia exhibito ab *Ægyptiis Æthiopibus Sabæis Deum Israelis, Deum fortem, præter quem nullus alius sit Deus, iri agnitum.* Cap. xlix. *Reges & Principes coram Messiæ tanquam lumine gentium se incurvaturos* magnificentissime iterum pollicetur. Iis, quæ insequuntur Capitibus, eadem promissa subinde repeti cumulatissimeque explicari miraremur, ni ipsa rerum, quæ prædicuntur magnitudo prohiberet. Cap. li. 4. 5.

inquit Deus. *Jus meum in lucem populorum excitabo: Prope adest justitia mea, jamjam salus mea exibit, & brachia mea populos judicabunt; in me insulæ sperabunt, & in brachio meo confident:* Cap. lii. 10. *Denudavit Dominus brachium sanctitatis suæ coram omnibus gentibus, & viderunt omnes fines terræ salutem Dei nostri.* Cap. lv. 4. *Ecce testem eum populorum constitui, Principem & Imperatorem populorum,* &c. Cap. lvi. 7. *Domus mea domus precum appellabitur pro omnibus populis.* Cap. lix. 19. *Timebunt gentes ab occasu nomen Jehovæ, & ab ortu solis glorioſum nomen ejus.* Cap. lx. 2. *Super te orietur Jehova, & gloria ejus super te conspicietur. Ibunt gentes ad lucem tuam & Reges ad splendorem ortus tui.* Quod si jam hæc, quæ modo allata sint, quod si & alia vaticinia longe plurima quæ tum Esaias, tum ceteri Divinitus tacti Scriptores prodidere, judicio, diligenter consideratequeexpenderimus, splendere nobis Jacobeum dictum, & prorsus coruscare videbitur. Facile erit intelligere, & pronunciare expeditum Clerici ad Judam trahentis, quod ad Christum pertinebat, sententiam non duram solummodo & violentam falsamque esse, verum etiam toti Divino Codici penitus repugnare.

LIX. Obiter dispicere liceat, utrum *obedientiæ significatio* ab *Auctore* justis gravibusque de causis improbetur. *Alii* inquit p. 305. a. m. *vertunt* obedientia, *etiam ut videtur ex mera conjectura, propter locum Proverbiorum, cui haud incommoda esset, uti nec huic Geneseos commati, ea significatio. Nos tamen conventum potius interpretati sumus, quia radix* קוה *in conjugatione Nipbal* aggregari *significat, qui sensus hic aptissimus est.* Respicit autem ad *Prov.* xxx. 17. Unde mea quidem sententia non leve nec infirmum argumentum pro obedientiæ significatione fluit. Res ita

ita habet, Bis tantummodo vocabulum יקהת in universo Hebræo Codice reperitur. Alter locus modo adducto Proverbiorum capite exstat, alter idem ille est, quam à Clerici depravatione vindicare aggressus sum. Quid igitur notet, ex his potissimum prudenti conclusione colligendum. Clericus *conventum* quam *obedientiam* interpretari maluit. Atqui integra qua Salomon utitur, phrasis istam significationem vix patitur. *Oculum qui ridet Patrem, & qui spernit* ליקהת אם, *effodient fluviales corvi, & aquilini pulli comedent.* Verte hic ליקהת אם *conventum matris*, quid sibi volet ea phrasis, *contemnere matris conventum?* nonne minus commoda, minus perspicua erit, minusque luculenta? Torsit ea res quosdam Interpretes,& ita torsit, ut *collectionem rugarum*, quibus senectus frontem distinguere solet, denotari crederent, cum tamen nullo constet indicio, cur *rugas* potius, quam *annos* aut quidvis aliud subintelligi oporteat. Quod si autem de obedientia accipiamus, apta concinna distincta interpretatio nascetur, *oculum* qui *matris* spernat *obedientiam*, qui matri se morigerum obedientemque præstare infra dignitatem suam arbitretur, à fluvialibus corvis effossum & à pullis aquilinis devoratum iri. Nec minus Jacobæo vaticinio pulcherrime congruit: *gentes Messiæ obedientiam præstituras.* Cum igitur vis verborum ex usu æstimanda sit, cur *obedientiæ* significationem, quæ utrique loco tam accurate convenit, repudiemus, cur alteram Salomonis sententiæ minus consentaneam præferamus? Si ex Arabico quoque sermone rem illustrare placeat, vocem quæ ab Hebræo יקה non minus ac vocabulum יקהת descendit iis obedientiam notare manifestum est.

LX. Obi-

LX. Obiter vero hæc adjicienda videbantur. Alias enim nihil cauſæ meæ decedere arbitror, ſive יקהת in Jacobi vaticinio *obedientiam* ſive *conventum* interpretemur. Convenerunt ad Meſſiam gentes, convenerunt autem, ut ejus voluntati obedirent, obtemperarent, parerent. Utrumque polliciti ſunt Divini vates: utrumque ita ut prædictum erat, evenit. Illud cauſam maxime continet, quo referenda ſint Jacobi verba, Judæne יקהת עמים tribui oporteat, an Chriſto. Quod Clericus ad Judam retulit, non ad Chriſtum, in eo erravit graviter, id omnino refellendum erat confutandumque. Ceteroquin perperam à קוה multo vero rectius à יקה deduci exiſtimo, neutiquam tamen illud tale videtur, ut de eo mihi magnopere ſit contendendum.

LXI. Potuiſſemus autem æquo animo carere iis, quæ Clericus de Samaritica lectione diſputavit. *Hæc cum ita ſint*, inquit, *ſupersedere tamen non poſſumus à lectione Samaritici Codicis afferenda, ubi pro* יקהת eſt יקהתו *quam Samaritanus Int. exponit* ויתנדו *coram ſe ſtiterunt, vel adducti ſunt. Si legeremus* אליו non ולו, ad ipſum *non* ei, *in voce proxime præcedenti, haud agre ſorte crederemus, aut* קהת *eſſe priſcam radicem Hebraicam, quamvis nuſquam alibi inveniatur; aut mendum eſſe,* ויקהלו *à radice uſitatiſſima* קהל, *cujus conjugatio Niphal ſolet cum præpoſitione* אל *conjungi. Non diſſimulabo tamen id verbum cum dativo, literula* ל *deſignato, conſtrui.* 2 Par. xx. 28. *Samaritanum Lamed cum Thau à feſtinante librario potuit facile confundi.* p. 305. a. f. 6. in. Quas ambages quos circuitus ſectatur? Hebræum Codicem ex Samaritano emendare, mutare literas, abjicere vocales, mox & Samaritanum ex ingenio corrigere, multis ſcrupulis, magna dubitatione ſe ipſum implicare, augere, cruciare quid juvat? Fruſtra allaboravit

Cle-

Clericus, ut ex pedibus vexilla faceret. Fruſtra iterum ſe macerat, ut depravatam Samaritici Codicis lectionem vel tueatur, vel emendet. Iiſdem vero hic argumentis urgeri poteſt, quibus §. xxxv. uſus ſum. *Conferatur etiam Celeberr. Hottingerus Exercit. Antimorin. de Pentat. Samar.* p. 95. lin. 4. a. f.

LXXII. Liberavi jam B. C. D. fidem, quam de refellendis iis, quæ Clericus ad vocem Shilo attulerat, nupero ſcripto dedi. Illuſtre vaticinium, quod Jacobus *de ſceptro à Juda non receſſuro, donec Shilo* veniſſet, prodidit, quod Moſes *Geneſ.* xlix. cap. ejuſdemque commate decimo conſignavit, quod totus Chriſtianus orbis ſumma cum veneratione ac voluptate legit, & complectitur, ab inſolentiſſima Clerici depravatione aſſertum eſt, & vindicatum. xi. & xii. quæ ſequuntur, commata, Divinioris ſcientiæ Interpretes recte de Chriſto, Grotius & Clericus perperam de Juda explicarunt. Nihil novi tamen de iis Clericus dixit, quod non ab aliis jam fuiſſet dictum: nihil etiam attulit, quo noſtratium argumenta confutaret. Quare non id facere aggrediar, quod toties ab aliis factum fuit. Qui vel Lutherum & Calovium legerit, abunde jam iis, quæ de commate 11 & 12. commentatus eſt, videbit ſatis factum.

LXIII. Quid igitur obtinuit Clericus, dum id totis viribus egit, ut longe valentiſſimum argumentum, quod ex *Gen.* xlix. 10. contra Judæos ducitur, Chriſtianis extorqueret? Evertere voluit præſtantiſſimum vaticinium: ſed firmum immotumque permanet, conatus eſt rebus maxime perſpicuis noctem inducere, ſed ſplendidiſſima luce disjiciuntur tenebræ & diſpelluntur. Auſus fuit illud, à quo Grotius ipſe abſtinuit, ut Meſſiam vocabulo Shilo indicari negaret: ſed quo majori niſu fertur audacia,

dacia, eo graviori lapsu corruere solet, si omni fulcro præsidioque penitus destituatur. Egit Judæorum causam, sed ita ut Judæos non possit non ejus Patroni pœnitere, qui sibi ipsi non constitit, qui sibi non minus ac Christianis repugnavit, qui ea subinde disseruit, quæ se mutuo infirmarent, everterent, tollerent. Judæis adeo non profuit, nec nocuit tamen Christianis sed sibi soli. Quanto magis ab hostibus oppugnatur veritas tanto nobis impensius de ea gratulamur, cujus tantam vim esse, ut contra hominum ingenia, calliditatem, selertiam, contraque fictas omnium insidias facile se defendat, novo didicimus experimento.

LXIV. Utinam vero solus hic esset locus, quem Clericus sibi depravandum sumsit! In tota Viri commentatione passim illustrissima pronunciata Mosis, quibus Christiana religio contra Judæos probatur defenditurque, reperias mirum in modum contorta, perversa, lacerata. Videas etiam permulta quæ cum debita divinis literis reverentia manifeste pugnent. Quod si quis exempla desideret, afferam aliqua, ut constet, nihil me ultra verum dixisse. Ordiar autem ab iis, quæ posterioris sunt generis. Ad *Genes.* cap. l. 30. passim ἀνωμαλίας in Mose reperiri scribit. *Dubium non est*, inquit, *quin possent hæc ex Mosis verbis colligi, si illa ἀκριβεία utcretur, cui nihil prætermitti necessarium, nihil supervacaneum addi patitur; sed cum passim & ἀνωμαλία, & alia neglectioris styli, ubi res tantum spectantur, indicia occurrant, non sunt nimium omissa aut addita urgenda; nisi forte aut scriptoris sententia aliunde nota, aut res ipsa, quam ignorare non potuerit, id postulet.* p. 13. b. f. Ad Cap. iii. 1. n. iv. quærit, *quid opus fuerit dicere serpentem callidissimam fuisse bestiarum agri. Cacodæmonem (ita pergit) vel stupidissima bestia fuisset æque feliciter*

citer abuſus; neque enim ſerpentis calliditatem ſed ſuam, ad fallendam Heram adhibuit. V. *Hæc & ſimilia alii cum viderent, eo deveniendum eſſe* (& quidem approbante Clerico ut paulo poſt videbimus) *cenſuerunt, ut agnoſceremus ex hoc ænigmate hoc tantum liquido poſſe cognoſci; primos ſcilicet humani generis parentes initium feciſſe peccandi, unde innumera mala ipſis eorumque poſteris incubuere. Conſtat certe humanum genus, nunc & à multis ſeculis corruptiſſimum fuiſſe; nec initium ejus labis ullum infra orbis originem deprehendi poteſt. At quomodo peccatum in orbem ingreſſum ſit, adeo ut primi peccati circumſtantias perſpicue & ſine ulla dubitandi ratione intelligere poſſimus, indicare eorum eſſet, qui rei interfuerunt, ſi revivifcerent.* Addit porro, *eſſe alios,* qui conjiciant *ſerpentis nullos fuiſſe ſermones, ſed eum ab Hera conſpectum comedentem fructum interdictum, ejuſque exemplo adductam ut ipſa etiam ederet, fuiſſe; certe etiam pœna ſerpenti inflicta infra v.* 14. *pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ indicari videri, ſerpentem comedendo fructum arboris Hevam fefelliſſe; & quia ex alta arbore fructus comedens eam perdiderat, ad terræ ſuccos lambendos damnatum fuiſſe. Ab iiſdem quoque & calliditatem ſerpentis, & ejus cum Heva colloquium, non quaſi circumſtantias, quæ urgeri queant, ſed quaſi orientalia ut ita dicam narrationis ornamenta ab iiſdem haberi.* Deinde monet quidem *Abarbanelis ſententiam, quod hoc colloquio ſignificentur* טענות האשה כפי מה שדמת עוררה מעשה הנחש ואכילתו מהעץ ההוא *mulierque ex ſerpentis exemplo colligens ſalubrem eſſe fructus indictiti uſum, non ſatis convenire cum verbis,* eritis inſtar deorum, *&c. quorum ſenſus ex ſerpentis actione elici non potuerit.* Tandem vero generalem rei enarrationem concluſurus, *Nobis,* inquit, *in re obſcura, tutiſſima videtur ignorantiæ confeſſio, modo ſumma rei, prout videtur iis, quorum ſententiam quinto loco*

ex-

expoſuimus, teneatur: ita tamen ut conjicientes, qui quod caput eſt rei nobiſcum tenuerint, damnare neutiquam ſuſtineamus. Itane vero vocare in dubium, quæ divinus ſcriptor apertiſſimis verbis ediſſeruit, ænigmata fingere, ubi Moſes hiſtoriam ſcribit, nec ullius ænigmatis vel unico verbulo mentionem facit, oportebat! Poterant ne *ab animo ſacrarum literarum amantiſſimo & promovendæ Chriſtianis ſtudioſiſſimo*, (ſic enim de ſe in extremo præfationis Exodo præmiſſæ prædicat) mordaciſſima proficiſci verba, *eorum qui rei interfuerint, ſi reviviſcerent eſſe, quomodo peccatum in orbem ingreſſum ſit, adeo ut primi peccati circumſtantias perſpicue & ſine ulla dubitandi ratione intelligere poſſimus, indicare?* Num Divinus Spiritus primi peccati circumſtantias, Moſen docere non potuit? num magis eorum, qui interfuere, ſi reviviſcerent, ac Divini Scriptoris verbis ſtandum eſſet? num minus de primi peccati circumſtantiis dubitandum foret, ſi reviviſcerent, qui interfuere nobiſque rem quomodo geſta ſit, enarrarent, quam cum Hiſtoricum Divinitus tactum afflatumque legimus? Decebatne Virum, qui Chriſtianum nomen profitetur, decebatne Scripturæ Interpretem ſine ulla impietatis nota, tam fuſe illorum ſententiam exponere, qui *calliditatem ſerpentis & ejus cum Hevæ colloquium, non tantum circumſtantias eſſe, quæ urgeri poſſint, negant*, verum etiam pro orientalibus narrationis ornamentis habent! Digna ne erat tam abſurda tam injuria in literas Divinas ſententia, quæ lectoribus conſideranda expendendaque proponeretur? Ignorantiam ne profiteri decebat, cum de eo ageretur, vera ne eſſent, que Moſes de calliditate Serpentis & ejus cum Heva colloquio ſcripſerat, an ad ornandam narrationem conficta? nonne potius tam procaces Divinæ Scripturæ contemtores vel omittendi penitus

tus & æternis relinquendi tenebris, vel etiam graviſſime caſtigandi erant? Et quid attinebat paulo poſt pag. 26. b. m. eos iterum producere, *qui hæc velint eſſe* ἐχμαπτμένα, *Moſemque veluti ſibi viam munire ad id quod dicturus eſt de lapſu primorum Parentum, inſidioſa Serpentis naturæ prudenter mentione injecta ſtatuant?* Quid attinebat eam Philoſophorum Apologis, *& doloſa Phædri vulpe, quæ caſeum ex ore corvi delapſum avidis rapuerit dentibus, & Avicui loco, ubi vulpes, quaſi acuti ſermonis deſcribatur, argutaque nominetur, eo quod ſit* κεφαλὰ τῆς Αισωπικῆς χρᾶς *Æſopicarum fabularum Choragus, ut Philoſtratus dicit*, illuſtrare?

LXV. Quis porro non indignaretur, cum ita de hiſtoria, quam liber Geneſeωs complectitur, & initio Exodi diſputantem audit? *Si primus hæc ſcripſit Moſes nunquam antea literis mandata, oportet, quæ habet, ei ſint à Deo revelata, aut ab hominibus, qui ea memoriter tenerent narrata, neque enim aliter ei innoteſcere potuerunt. Nuſquam autem ſibi hæc à Deo patefacta dicit, neque, quanquam fieri potuit, quiſquam Moſe tacente, pro comperto affirmare ſuſtineat; præter Rabbinos, quos nunquam mentiri puduit, & quos proinde non moramur.* Diſſert. III. n. II. in. Quis ferret illud quod de tranſlato ad cœlum Enocho commentans addidit. *Mirum eſt, Moſen rem tantam, ſi modo immortalem Enochum factum credidit, tam obiter, tamque obſcure, quaſi eam latere vellet, perſtrinxiſſe. Forte cum hæc ex antiquiſſimis monumentis exſcriberet, nihil præter ea, quæ nobis tradidit, invenit, quibus aliquid adjicere religio fuit.* p. 45. b. in. Ne jam dicam, quod conſtructam à Moſe Supremi Numinis mandato arcam & complures alios Judaici populi ritus referendos *ad ea ſtatuat, in quibus nulla naturalis honeſtas, nihil ſpiritali Numine dignum,* (conferri hac in parte poterit

F. So-

F. Socinus Epist. II. ad Andr. Dudith. p. 27. ubi similes reperiuntur phrases) *nihil mortalibus proficuum deprehendatur.* v. Commentarius in Exodum ad Cap. XXV. 10. p. 126. a. f. & b. init.

LXVI. Nunc & illud exemplis quibusdam videamus, quam libenter, quam temere, quam proterve luculentissima Mosis dicta, quæ pro Christiana religione pugnant invadat, depravet, pervertat Nam alia opinionum portenta, (quale & illud est, *quod Adamum & Hevam, cum soli fuerint, non magis potuerit nuditatis suæ pudere, aut eam non antea animadversam deprehendere, quam priusquam peccatum admisissent,* ad Gen. iii. 7. p. 29. a. *imo si hodie totum genus humanum exstingueretur, exceptis duobus conjugibus, qui etiam vestibus destituti essent, nuditatem nullum in iis pudorem parituram, nisi forte initio propter inolitam consuetudinem,* &c. ad Gen. ii. 15. p. 23. b. f.) jam non morabor. Moses de Deo in plurali, ut technici vocant, numero quam sæpissime loquitur. Quid ad hoc Clericus? Omnia, quæ eo faciunt, dicta uno quasi ictu prosternere nititur. Profano Ethnicorum cultui hunc loquendi morem acceptum ferendum esse docet. *Lingua* inquit, *Hebraica, quæ apud Chananæos πολυθεότητος opinione inquinatos, & de Numinis Naturæ male sentientes floruit, & pro tempore exculta est; eorum errorum vestigia servavit plurima, etiam postquam Hebræorum contraria sentientium vernacula facta est. Credebant Phœnices non modo plures esse Deos, sed etiam homines in Deorum numerum retulerant, ut ostendit* Eusebius Præp. Evang. Lib. I. Cap. 6. *Ideoque frequentius utebantur voce* אלהים, *quæ pluralis est numeri, quam Singulari* אלה; *quod videmus etiam supereſſe in sermone Hebræorum, qui in contraria prorsus erant sententia, & unius Summi Numinis propugnatores acerrimi. Hinc fit ut ei voci modo verba singularia ex sententia*

sua

ſua de uno Deo, adjungant ; modo etiam pluralia, vicinorum more, quamquam unum Deum intelligebant. Vid. Diſſertatio Ima Num. V. Argum. quinto. Ita in Hebræi ſermonis vertit dedecus quod inſigni linguæ Hebrææ ornamento, quod Chriſtianis magnæ ad Judæos refellendos utilitati eſt. Olim hæc quæſtio præbuit anſam diſſerendi, confutatis iis, quæ Theologi, ut ſe vocant, Batavi *Judicio de Richardi Simonii Hiſtoria V. T. Critica* in eandem ſententiam dixere. Lectori non impari facile fuerit, eadem argumenta, pauciſſimis tantummodo mutatis, ad commemoratam Clerici Diſſertationem accommodare. Quapropter non alienum ab inſtituto duxi, eam in opuſculi calce adjicere.

LXVII. Quod DEI Spiritus aquis incubuerit, inde contra Judæos firmiſſime probari poteſt, ſpiritum ſanctum eſſe Deum ſummum. Habet etiam Clericus quædam de divino ſpiritu, ſed ita ut non confirmare nitatur argumentum, ſed evertere. Cupit latere poſt principia & ex inſidiis ſuccenturiari Judæis, ſed nimis incautus eſt, nec ejus conſilium lectorem præterire poteſt, modo vel illa verba conſideret. *Videtur ergo hoc velle Moſes, divinam potentiam informi extenſioni, antequam quidquam eſſet, præfuiſſe.* pag. 5. b. med.

LXVIII. Pronunciatum Dei *Gen.* iii. 15. non ſolum diabolo terrori fuit, ſed & hodie terrori Judæis eſt, ac omnibus aliis, qui ſumma religionis Chriſtianæ capita aggrediuntur. Negat autem Clericus ſolum Chriſtum per *ſemen mulieris* intelligi. Imo nec de eo ſibi conſtat, an Liberator Servatorque optimus prorſus indicetur. Addito commentationi indice ſemen mulieris, *homines quoſvis & Meſſiam κατ' ἐξοχὴν* dicit, ipſa vero commentatione ita ſe torquet, ut nemo fortaſſe magis. Fatetur, *ve-*

teres aliquot Judæos, inter quos scriptores Paraphrasium Chaldaicarum, quæ Jonnannis, & Hierosolymitana dicuntur, Messiam respici hic censuisse, qua in re longe maximam Intt. Christianorum partem assentientem habeant. Nec dubium est, ita porro inquit, si serpentis nomine Cacodæmon hic significatur, quia Messias ei caput contriverit, hoc est, ejus potentiam everterit. Apparuit enim filius Dei, ut dissolveret opera diaboli. Mox addit, quærendum vero esse, an sine ulteriori interpretatione Heva, & antiquissimi Judæi hæc de singulari illa persona, quæ Messias dicitur, intellexerint. Certe ne ipsos quidem Paraphrastas Chaldæos, quanquam Messiam respici velint, hoc oraculo satis dilucide semine mulieris signari eum docere. p. 31. b. med. Quantum vero dubitationis habeat illud Clerici, quo dubitationem removere velle imprudentioribus forte videri posset, *Nec dubium est, quia si serpentis nomine Cacodæmon hic significatur, Messias ei caput contriverit*, ex pag. 30. b. f. & 31. a. in. apparet. *Haud levis est difficultas* inquit, *in ostendendo, quomodo circumstantiæ omnes pœnæ hic serpenti inflictæ Cacodæmoni, quem potissimum plecti oportuit, conveniant; aut si non omnes, quæ tandem eum respiciant. Si hic allegoricis commentis indulgere liceat, hæc quidem facile inveniuntur, sed cum sint omnia in eo interpretandi genere, incerta, vix est, ut severioribus ea ratione satis fiat judiciis. Paulo post semen serpentis non potest etiam proprie Cacodæmoni convenire, &c. Contritio capitis & calcanei, ut de serpente facillime intelligitur, ægre Cacodæmoni accommodatur, nisi incertis, τῶν ἀλληγορούντων conjecturis, qui nomine capitis maximam partem potentiæ Cacodæmonis intelligunt, calcanei vero partem vilissimam seminis mulieris; seu eo semine Messias solus significetur, cujus corpus à Judæis instinctu Dæmonis cruci affixum est, seu pii una cum illo, quos in rebus ad hanc vitam pertinentibus lædit Cacodæmon. Cacodæmonis porro pœnarum,*

quas

quas sine dubio Deo dedit, nulla hic fit perspicua mentio, quia ut sub imagine serpentis fefellit primos Parentes: ita omnis in serpentem, quem solum illi viderant, cadere videtur pœna. De Cacodæmonis fraude nulla forte iis fuit suspicio, nec pœnas Naturæ, quam ignorabant, infligi postulare poterant; at serpentem, qui præ oculis fuerat, plecti iis qui ab eo decepti fuerant, sine dubio gratissimum fuit. P. 32. a. m. de verbis *conteret tibi caput.* Ita commentatur. *Hebr.* שופך *quod verbum primo quidem sensu nativo deinde minus proprio repetitur. Nam si quis aut gradiendo, aut telo serpentem opprimere nititur, ei caput revera conterit, & serpens talum mordens eum conterere dici non potest, nisi* ἀκυρολόγως. *Sed ita solent Scriptores Sacri, postquam genuino sensu vocabulo quopiam usi sunt, sæpe eodem de alia re verba facientes in sensum alienum illico postea abutuntur.* Denique eadem p. 1. ad illa calcaneum conteres *Homo* inquit *serpenti pede conculcare caput, ut intereat, potest; at serpens ab eo conculcatus pedem tantum aut tibiam, imo si prope caput prematur, talum duntaxat morsu appetere valet; si excipiamus serpentem Jaculum, aut eos, qui sunt abnormis longitudinis.* Vah! quam se vertit in omnes partes, ut tam illustrem locum ex perspicuo obscurum reddat! Quam multa hic sunt, quæ nec veritati congruunt, nec inter se recte cohærent. Ut reliqua prætercam, quæ consecutionis ratio est? *Paraphrastæ Chaldæi quidem Messiam respici volunt, non tamen semine mulieris Messiam satis dilucide signari docent.* Ergo *nec Heva, nec Esaias Michas Daniel ceterique V. T. pii ex hoc loco intelligere potuere, de singulari illa persona agi, quæ Messias dicitur.* Num Hevæ, num omnibus V. T. piis nihil constare potuit, quod Chaldæi Paraphrastæ non intellexere? Hac sane argumentatione severioribus judiciis, ut verba Clerici mea faciam, non satisfiet.

LXIX. Eva se Virum Dominum possidere profitetur *Gen.* iv. 1. Quod iterum luculento indicio est, eam omnem fiduciam in Messia Deo & homine collocatum habuisse. Male id Clericum habet. *Qui verterunt* inquit, Virum Jehovam, *atque, Hevam credidisse, Cainem esse Messiam, qui Jehova est, scripserunt, ii quamquam vix refutatione digni, fuse ab S. Amama in Antibarbaro confutati sunt.* Quod Eva Cainem Messiam esse crediderit, illud non existimo. Nihilo tamen minus Evam de Messia loqui, Evam Servatorem optimum *Virum Jehovam* appellare certum est, nec quicquam dubitationis habet. Amamæ satis à nostratibus responsum: satis quoque in Amama Clericus confutatus. Mirum vero, quod ea, in quibus erravit Amama, (quem alias digne æstimo) amplectatur: ea quæ de vocabulo Shilo egregie commentatus est, deserat. Nimirum meliora rejicere, deteriora probare consuevere, qui veritatis amore parum ducuntur.

LXX. In Lamechi vaticinio nihil nisi terrenum, & quod, ut ita loquar, humi serperet, reperire potuit. *Facile*, (his enim verbis p. 47. a. in. utitur) *intelligimus dixisse Patrem, nascentem filium sibi in ærumnis consolationi fore, utque laborem, cui damnatus esset, æquiori animo ferat, effecturum. Ideo tantopere abominata orbitas, quæ segniores in labore facit, cum non videmus ex nobis natos, quibus nostra relinquamus.* At vero si revocasset in animum, quæ Cap. iii. 15. seqq. leguntur, si vaticinium, quod Lamechus nato Noacho prodidit sine præjudicatis opinionibus accurate expendisset, non tam abjecte de pronunciato tam illustri sentiret.

LXXI. Deus Abrahamo promisit, *in ejus semine omnes terræ gentes benedictum iri.* Idem Isaaco pollicitus est. Hanc promissionem Moses in tam brevi re-

rerum narratione sæpius repetit, Paulus vero aperte explicat. καὶ τῷ σπέρματί σου ὃς ἐστι χριστὸς. Gal. iii. 16. Clericus tamen ab eo depravando haud abstinuit. Non autem nocebunt tela Viri cum jam diu prævisa sint, jamdiu confracta. *Tuo* (vel tui seminis) *nomine* inquit *exemplove prolato benedictiones apud plurimos Orientis populos concipientur, benedicat tibi Deus ut benedixit Abramo.* Usitatissima hæc Judæorum depravatio est, unde jam sæpissime à nostratibus detecta, confutata, protrita fuit. Ceterum Henr. Hammondum quoque in partes vocat, qui ostenderit Apostolum allatæ à Clerico distortioni non repugnare. At perspicua sunt Pauli verba: his Hammondum, his Clericum cedere oportet: hæc omne prorsus effugium præcludunt.

LXXII. Ad Genes. xlix. caput revertamur. Quid sibi voluerit Jacobus, cum se Jehovæ salutare exspectare diceret v. 18. ignorat Clericus. Hæret dubius, nec satis cognitum habet, quo se vertat. Audiamus. *Itaque alii hæc verba ad filios Jacobi non pertinere censent, sed instar parentheseos à moribundo sene proferri. Quod si sit, quærendum superest, quæ de salute loquatur Jacobus, vox enim est in scriptura πολύσημος. Posset subito de sua & suorum in* Ægypto *mora & servitute cogitasse; & Deum orasse, ut promissionis Abrahamo factæ memor servaret posteros suos, hoc est, eos ex* Ægypto *in* Chananæam *reduces faceret. Posset pericula, quæ subituri essent posteri sui, in tot bellis, quæ erant gesturi, in animum revocasse, victoriis, quas Danitis promittebat, admonitus; adeoque, quæcunque futura essent ea pericula, iis posteros liberatum iri Dei beneficio, dicere. Nam cum ait se* exspectare salutem à Deo, *perinde fere est, ac si se consecutum diceret, cum Deus nunquam expectationem piorum promissis suis fretam destituat. Posset etiam sublimius quiddam animo*

verſaſſe, atque hæc fuit ejus mens, ſi Jonathani credimus. Dixit Jacob quando vidit (*nempe ſpiritu Prophetico*) Gedeonem filium Joabi, & Samſonem filium Manoachi: non liberationem Gedeonis exſpecto, neque liberationem Samſonis reſpicio: quia liberationes eorum liberationes temporis; ſed liberationem tuam exſpecto & reſpicio, Domine, liberatio tua liberatio æternitatis. *Simili ſenſu hæc verba exponit Paraphraſtes Ieroſolimitanus.* Adeone difficile erat, ex allatis interpretationibus illam eligere, quæ optima, quæ morienti Jacobo, quæ præmiſſo de SHILO vaticinio, quæ toti 19° commati convenientiſſima eſſet. Qui *Pſ.* cxix. 154. רחוק מרשעים ישועה qui *Eſaiæ* lxii. 12. הנה ישעך בא הנה שברו אתו ופעלתו לפניו qui interpretationem ipſius *Eſaiæ* cap. xl. 9,10. qui *Eſ.* 25 9. הנה אלהינו זה קוינו לו ויוש ענו qui denique totius Divinioris Scripturæ ſcopum recta ſecum reputaverit via: huic non fluctuabit animus, hic Jacobum ad Meſſiam, ad unicum humani generis ſervatorem reſpexiſſe certiſſime habebit perſuaſum.

LXXIII. Angelus, qui Moſi in rubo apparuit *per cujus manum* ut Stephanus *Actuum* vii. 35. loquitur, *Deus Moſem* ἄρχοντα καὶ λυτρωτὴν ἀπέστειλεν, ſe Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi, Iſraelitas ſuum populum appellat. *Exodi* cap. iii. Nec ibi ſolum, ſed paſſim in auguſtiſſimo Pentateuchi opere occurrunt, quæ ad hoc pertinent argumentum, & pro Chriſtianæ religionis veritate quam fortiſſime pugnant. Clericus ea omnia *Geneſ.* xvi. 13, p. 123, 124. detorquere ex inſtituto allaborat. Prolixior locus eſt, quam ut adſcribatur. Nec jam vacat ea confutanda ſuſcipere, quæ à Viris ſummis toties jam olim fuerunt confutata.

LXXIV. *Namer.* xxiv. 17. interpretaturus eandem viam ingreditur quam *Deut.* xviii. sequutum esse supra § xiv. ostendi. Duplicem fingit sensum, unum ad Davidem, alterum ad Christum refert. *Hinc* inquit, *liquet, Chaldæos Interpretes non male Regem intellexisse nomine stellæ,*&c. *Sed quis ille Rex fuit? Davidem Viri doctissimi interpretantur, inter Hebræorum Reges illustrem, qui Moabitas partim interfecit, partim sibi subjecit,* 2 Sam. viii. 2. *cum quo confer* Ps. lx. 10. cviii. 10. *Sed cum nobilissimorum fere Vet. Testamenti vaticinorum duplex sit sensus, ut ostendit H. Grotius* ad Matt. I. 22. *quorum alter ante Christum, alter vero in ipso Jesu Christo aut in hujus Ecclesia impletus est: præter sensum qui se primum offert in Balaami hoc vaticinio, alterum excellentiorem Interpretes Christiani pie quæsiverunt,* p. 385. b. m. Porro Mosis verba, *surget sceptrum ex Israele,* ita interpretatur. *Hoc est: regnum orietur, Davidis, nempe, primo sensu, altero vero Christi, cui summa potestas in cœlo & terris à Patre collata est. Et paulo post. De Davide possunt hæc intelligi, sed tenues sunt promissionum eventus, si de regno ejus solo intelligantur, nec multo ampliores, si regnum Salomonis ei addatur; nam profecto Reguli fuerunt, si conferantur cum Persarum Regibus, aut cum Imperatoribus Romanis; neque Imperii Hebræorum splendor durationem Persici & Romani, imo ne Ægyptiaci quidem æquavit, cum per duo tantum Regna memorata res Hebræorum floruerint. Itaque Hebræi ex Captivitate Babylonica reduces, qui Prophetas non tam ex verbis, quam ex amplitudine & potentia promittentis interpretabantur, in plerisque eventus quæsiverunt præteritis insigniores; sed in eo aberrarunt, quod pro Rege vere maximo, hoc est cœlesti & totius humani generis sospitatore, Regem Persarum aut Romanorum Monarchis similem, & soli Judaicæ Genti benevolentem, exspectarunt,* p. 386. b. m. Postea quæ-

rit, *quis negare audeat Spiritum Propheticum, quo afflatus erat Balaamus aliquam ambiguitatem hic captasse, adeo ut quod de Moabitis intelligi oportuit, si ad Davidis historias respexeris, de Christo explicatum aliter intelligendum sit?* p. 386. b. Fateor, hic quædam recte egregieq; dici. At quam vellem, ea quæ bene dicta sunt, adjectis erroribus depravata contaminataque non fuissent! Non ea inter Messiam & Davidem partienda erant, quæ soli Christo debebantur. Omnem evertit sensum qui uno contentus non est. Si vaticinium primo sensu ad Davidem respicit, si ante Messiam eventum jam habuit, ruit maxima vis argumenti, quo Judæos urgere poteramus. Agnoscit Clericus tenuem fore promissionis eventum, si illa, de quibus nunc disputo, verba de Davide accipiantur. Cum igitur Divina promissa tenues eventus non habeant, prorsus de Davide intelligi non poterunt, non debebunt. Ambiguitatem divinus Spiritus non captavit. Summæ audaciæ est, tale quid de Spiritu divino suspicari.

LXXV. Ita quidem longe clarissima Mosis pro Christiana religione testimonia infirmare conatus est. Plura qui cupit, adeat Clericum, legat, horreat vero potius, quam miretur. Et utinam ipse Auctor tandem aliquando à tam manifesta Divinæ Scripturæ depravatione abhorreret! Quid enim causæ est, cur tantos in iis pervertendis labores frustra consumat, quantos pauci in iis recte accurateque explicandis ponunt. Gloria Dei suprema lex esto, & supremus omnium nostrarum actionum scopus. Huic vero nihil magis repugnat, quam divinum sermonem, cui summa reverentia debetur, contorquere, contaminare, corrumpere. Amplificare Christianæ religionis pomoeria, illius confundere adversarios, & argumentis magis magisque constringere, vel saltem

tem aliis occaſionem ejus rei præbere: hoc decet Interpretem ſacrum, hoc qui facit, is operam præclariſſime collocat. Tunc autem non ferendum Judæis ſubſidium eſt, nec luculentiſſima, quibus Chriſtiana religio nititur, vaticinia, tenebris debent obſcurari. Quod ſi divini Codicis diſtortione vires ingenii oſtentare cupit, cogitet laudem in præcipiti ad ignominiam vergere, quæ cum impietate conjungitur. Præſtat ſane manere in obſcuro, quam inclareſcere malis conſiliis. Nec ille valet ingenio, qui falſis interpretationibus confingendis palliandiſque plurimum poteſt. Sin denique divinis literis vim attuliſſe verum & dignum labore fructum putat, ó vero tum miſerum, ó infelicem!

Lector Benevole.

ILluſtre Jacobi de Meſſia ante ablatum à Judæis ſceptrum & legiſlatorem venturo vaticinium, adverſus Clerici ψευδερμηνείας ex Contextu inprimis & phraſeologia hucuſque aſſeruimus. Cæterum ut appareat etiam, illos qui ſecus quam de Meſſia Oraculum hocce interpretantur, licet Chriſtianorum nomen præ ſe ferant adeo tamen quod Chriſtianum erat non facere, ut ipſi quoque Judæis hac in parte ſe longe præſtant deteriores nomina tibi nunc damus Rabbinorum, qui Textum ac Meſſiam itidem referunt, quibuſque in locis hanc ſuam promant mentem, citatis ex Venerandi Parentis noſtri Codicibus paginis lineiſque indicamus. Videatur ergo

Targum Onkelos in hunc locum.
Targum Jonathanis in hunc locum.
Targum Jeruſchalmi in hunc locum.
Item. Notæ Marginales ad Edit. in forma ut vocant, 8va
Zohar Ed. Cremon. in Geneſ. f. 126. col. 4. d. m.
Ibid. f. 127. col. 1. lin. 6. ab in.
Ibid. lin. 12. & med.

Ta

Talmud Babylon. ברכות fol. 57. col. 1. m.
סנהדרין fol. 98. col. 2. med.
Rabboth Edit. Amſtel. in Geneſ. fol. 110. col. 2. lin 9. a f.
Ibid. מחנות כהונה lin. 4. a. f.
Tanchuma. Edit. Mant. f 23. col. 2. lin. 16. à fin.
Ibidem lin. 13. a. f.
Medraſch Tehillim, Edit. Ven. Pſal. 128. fol. 54. col. 2. lin. 16. in.
Medraſch Miſchle, fol. 71. col. 3. l. 26.
Echa Rabbethi. Edit. Amſtel. fol. 68. col. 3. lin. 3. a. f.
Jalkut. Edit. Cracov. fol. 49. col. 3. lin. 24. ab in.
Ibid. lin. 33.
Sal. Jarchi, in Gen. xlix. 10.
Id. in Orhaſſechel fol. 186. col. 2.
Nachmanides. Ed. Ven. ad Gen. xlix. 10. fol. 87. a. m.
Kimchi Schoraſchim ad vocem שׁוּל.
Id. ad rad. יקה.
Id. in Eſ. xi. 10.
Bechai in Legem Ed. Ven. fol. 63. col. 1.
Ikkarim Ed. Ven. lib. iv. c. 42. fol. 162. b. f.
Elias Miſrachi, Ed. Ven. fol. 65. lin. 15. ab. in.
Ibid. lin. 18.
Baal hatturim, in h. l.
Akedath Iitzchak Edit. Ven. fol. 88. d. lin. 24. à fin.
Ibid. fol. 89. a. lin. 4. ab in.
Abarbanel in h. l. fol. 221. c. 4. lin. 9. a. f.
Id. in Eſaiæ cap. xi. fol. 28. col. 1, l. 23. a. f.
Salomo Ben Melech. Michlal Jophi ad Gen. xlix. 10.
Ibid. paulo poſt.
Alſchech in Legem Ed. Ven. fol. 85, col. 1, lin. 17, a f.
Ir Gibborim Edit. Baſil. fol. 57. col. 4. in.
Ibid. fol. 60, b. m.
Ibid. fol. 62, b. lin. 22, ab in.
Ibid. fol. 118, b. f.
Joel Ben Schueb in עולת שבת Ed. Ven. fol. 47, a. m.
Lebhuſch haora Edit. Prag. fol. 38, c. l. 18, ab in.
Nezach Iſrael. Edit. Prag. fol 47, b. med.
Ibid. fol. 48, b. l. 18, ab in.
Ibid. lin. 11, à f.
Ibid. lin. 8. a f.

Zeena

Zeena Vreena Edit. Amſtel. fol. 45, c. lin. 19, a f. &c.
Obadias Sephorno in legem Ed. Ven. fol. 25, c. m.
Ibid. Paulo poſt.
R. Nathan Grodnenſis Biurim in Jarchi Ed. Ven. fol. 54. a f.
R. Iſaac Bar Iehuda Hallevi in פענח רזא Edit. Prag. fol. 33, b. lin. 7, ab in.
Lipmanni Nizzachon. ex Edit. Hackſp. ad Pſal. pag. 167, l. 1, a. ab in.
Lipmanni Carmen memoriale ex Edit. Celeb. Wagenſeilii Telis igneis p. 114, m.
Nizzachon Vetus ex Edit. cl. Wagenſ. p. 29.
Ibid. p. 32.
Diſputatio R. Nachmanidis ex Edit. cl. Wagenſ. p. 53.
R. Iſaac Munimine fidei ex Ed. cl. Wagenſ. cap. 14, f. p. 141
Ibid. Paulo poſt.
Manaſſe Ben Iſrael. Conciliatore Quæſt. LXV. p. 88. ſeqq. varias Judæorum ſententias ex ponit. inter quas pleræque Jacobi de Shilo vaticin. ad Meſſiam referunt.

LEMMATA.

§ I. *Pauca quædam de calamitoſa Jacobi vita præmittuntur.*
§ II. *Probatur, Meſſiæ cogitationem adverſis Jacobi rebus maximum ſolatium attuliſſe. Id inter alia ex* Gen. xlix. *capite conficitur, ubi præclariſſimum Patriarchæ de SHILO vaticinium exſtat.*
§ III. *Proponitur argumentum, quod Chriſtiani inde contra Judæos petunt.*
§ IV. *Affertur* JOHANNIS CLERICI *locus, quo illud in eum Commentario in Pentateuchum ſubjecit, Indice refellere conatus eſt.*
§ V. *Generatim oſtenditur,* varietatem ſententiarum *Chriſtianis non obſtare.*
§ VI. *Idem ſpeciatim probatur de mutuo Judæorum diſſenſu.*
§ VII. *Probatur non ita Chriſtianos diſſentire, ut Judæis inde aliquis commodi accedat.*
§ VIII. *In quæ regeri forte poſſent, occurritur.*
§ IX. *In quantas anguſtias Clericus hac objectione ſe ipſum conciat, oſtenditur.*

§ X. *Aliud Clerici argumentum repellitur.* Habere nos alia argumenta ex ipso Mose verbi gratia *Deut.* xiix. petita. Proinde non adeo multum interesse, sive *Gen.* xlix. 10. de Christo agat, sive minus.

§ XI. *Tota res alio quodam exemplo illustratur.*

§ XII. *Ostenditur, ita fenestram ad omnia vaticinia contorquenda aperiri.*

§ XIII. *Argumentis ex N. T. petitis efficitur, Mosis de Christo vaticinia, nequaquam ad paucitatem redigenda.*

§ XIV. *Speciatim de* Deut. xiix. *disseritur.*

§ XV. *Confutatur objectio Clerici,* Gen. xlix. 10. à N. I. Scriptoribus haud allegari.

§ XVI. *Propter Grotii sectatores ab ipso Grotio præsidium contra hanc objectionem repetitur.*

§ XVII. *Exponitur caussa, cur Apostoli* Gen. xlix. 10. *non aperte adduxerint.*

§ XVIII. *Aliud Clerici argumentum confutatur,* Judæos in ambiguitate reliquarum vocum latibula sibi quærere, ex quibus ejici à nostris Interpretibus non possint.

§ XIX. *Clericus Judæorum testimoniis urgetur.*

§ XX. *Utrum desumta à resurrectione Christi argumenta majoris sint ponderis, quam Jacobi de* SHILO *vaticinium dispicitur.*

§ XXI. *Illis quæ à Clerico opponi poterant, occurritur.*

§ XXII. *Ostenditur, argumentum, quod à miraculis Christi & Apostolorum ducitur, clarissimis Prophetarum vaticiniis neutiquam anteponendum.*

§ XXIII. *Quin & Christi & Apostolorum miracula multo fortius urgeri posse, si Prophetarum V. T. vaticinia in subsidium vocemus.*

§ XXIV. *Provocatur ad Lucæ & Petri testimonia.*

§ XXV. *Expenduntur ea, quæ Clericus ipso Commentario ad* Gen. xlix. 10. *attulit. Generatim conficitur, ejus sententiam nullo solido argumento niti.*

§ XXVI. Geminum, *quo receptam de Christo interpretationem refellere conatus est,* argumentum *proponitur.*

XXVII. Prius à voce שִׁלֹה desumtum *expenditur. Ostenditur Clericum nihil inde præsidii repetere posse, quod tribus Juda Reges ante Davidem non habuerit.*

XXVIII. *Nec præsidii quid ejus sententiæ accessurum, si vel maxime post Sedeciam nullum Regem habuissent, cum firmis argumentis effici nequeat, Jacobum vocabulo* שִׁלֹה *solam Regiam dignitatem indicasse.*

XXIX. *Probatur, hanc consecutionem omni vi pondereque carere.* Populus aliquis extraneum habet Regem. E. sceptro destituitur.

§ XXX.

§ XXX. Posterius à vocabulo יסור petitum *ponderatur. Ostenditur, Judæos* durante captivitate Babylonica *sceptrum omnino habuisse.*

§ XXXI. *Quid sibi velit integra phrasis,* לא יסור שבט מיהודה *explicatur.*

§ XXXII. *Alia quædam obiter adjiciuntur.*

§ XXXIII. *Ad vocem* מחקק *ostenditur, Clericum sibi ipsi repugnare.*

§ XXXIV. *Urgetur* Psal. lx. 9. Psal. ciix. 9.

§ XXXV. *Quæ Clericus de phrasi* מבין רגליו *commentatus est, multis argumentis refelluntur.*

§ XXXVI. *Probatur Clericum minus recte phrasin* עד כי יבא *dubiam incertamque existimare.*

§ XXXVII. *Probatur, verba Clerici,* Quomodo autem (*particula* עד) sit exponenda, res ipsa, si modo loquenti satis nota fuit, ostendit, *vel plane non cohærere, vel etiam cum impietate conjuncta esse.*

§ XXXVIII. *De vocabulo* שילה. *Recte à Clerico rejici, qui* שלו *vel* שליו *legunt.*

§ XXXIX. *Nec eos sequendos esse, qui de vocabuli derivatione prorsus non sunt soliciti.*

§ XL. *Neque etiam à* שיל *vel* שלה *deducendum.*

§ XLI. *Sed pacificatorem notare, iis simul confutatis, quæ Clericus objecit.*

§ XLII. *Clerici de* שילה *sententia exponitur.*

§ XLIII. *Varii Clerici errores breviter ostenduntur.*

§ XLIV. *Quantas ambages sectetur, dum* שילה finem cessationemque *notare vult, luculenter ostenditur.*

§ XLV. *Urgetur eo, quod sibi non constet, utrum* שילה *sceptri an legislatoris, an deniq; Judæ finem cessationemque designet.*

§ XLVI. *Tota ejus interpretatio ex accentuum ratione confutatur.*

§ XLVII. *Auctoritas accentuum ab exceptione Clerici vindicatur.*

§ XLVIII. *Alii exceptioni occurritur.*

§ XLIX. *Probatur, secundum Clericum* שילה *dicendum non fuisse, sed* שילם.

§ L. *Alia quædam breviter explicantur.*

§ LI. *Exemplis demonstratur, sententiam Clerici historiæ Judaicæ repugnare.*

§ LII. *Adeoque eventum non respondisse vaticinio, si ipsius interpretatio vera esset.*

§ LIII. *Clerici interpretationem prorsus à Jacobi scopo alienam esse.*

§ LIV. *Ad exceptiones, quæ afferri possunt, respondetur.*

§ LV. *Ostenditur, nihil absurdius fingi posse, quam* שילה *finem cessationemque Judaici populi notare.*

§ LVI.

§ X. *Aliud Clerici argumentum repellitur.* Habere nos alia argumenta ex ipso Mose verbi gratia *Deut.* xiix. petita. Proinde non adeo multum interesse, sive *Gen.* xlix. 10. de Christo agat, sive minus.

§ XI. *Tota res alio quodam exemplo illustratur.*

§ XII. *Ostenditur, ita fenestram ad omnia vaticinia contorquenda aperiri.*

§ XIII. *Argumentis ex N. T. petitis efficitur, Mosis de Christo vaticinia, nequaquam ad paucitatem redigenda.*

§ XIV. *Speciatim de* Deut. xiix. *disseritur.*

§ XV. *Confutatur objectio Clerici,* Gen. xlix. 10. à N. I. Scriptoribus haud allegari.

§ XVI. *Propter Grotii sectatores ab ipso Grotio præsidium contra hanc objectionem repetitur.*

§ XVII. *Exponitur causa, cur Apostoli* Gen. xlix. 10. *non aperte adduxerint.*

§ XVIII. *Aliud Clerici argumentum confutatur,* Judæos in ambigultate reliquarum vocum latibula sibi quærere, ex quibus ejici à nostris Interpretibus non possint.

§ XIX. *Clericus Judæorum testimoniis urgetur.*

§ XX. *Utrum desumta à resurrectione Christi argumenta majoris sint ponderis, quam Jacobi de SHILO vaticinium dispicitur.*

§ XXI. *Illis quæ à Clerico opponi poterant, occurritur.*

§ XXII. *Ostenditur, argumentum, quod à miraculis Christi & Apostolorum ducitur, clarissimis Prophetarum vaticiniis neutiquam antetponendum.*

§ XXIII. *Quin & Christi & Apostolorum miracula multo fortius urgeri posse, si Prophetarum V. T. vaticinia in subsidium vocemus.*

§ XXIV. *Provocatur ad Lucæ & Petri testimonia.*

§ XXV. *Expenduntur ea, quæ Clericus ipso Commentario ad* Gen. xlix. 10. *attulit. Generatim conficitur, ejus sententiam nullo solido argumento niti.*

§ XXVI. Geminum, *quo receptam de Christo interpretationem refellere conatus est,* argumentum *proponitur.*

XXVII. Prius à voce שבט desumtum *expenditur. Ostenditur Clericum nihil inde præsidii repetere posse, quod tribus Juda Reges ante Davidem non habuerit.*

XXVIII. *Nec præsidii quid ejus sententiæ accessurum, si vel maxime post Sedeciam nullum Regem habuissent, cum firmis argumentis effici nequeat, Jacobum vocabulo* שבט *solam Regiam dignitatem indicasse.*

XXIX. *Probatur, hanc consecutionem omni vi pondereque carere.* Populus aliquis extraneum habet Regem. E. sceptro destituitur.

§ XXX.

§ XXX. Posterius à vocabulo יסור petitum *ponderatur. Ostenditur, Judæos* durante captivitate Babylonica *sceptrum omnino habuisse.*

§ XXXI. *Quid sibi velit integra phrasis,* לא יסור שבט מיהודה *explicatur.*

§ XXXII. *Alia quædam obiter adjiciuntur.*

§ XXXIII. *Ad vocem* מחקק *ostenditur, Clericum sibi ipsi repugnare.*

§ XXXIV. *Urgetur* Psal. lx. 9. Psal. ciix. 9.

§ XXXV. *Quæ Clericus de phrasi* מבין רגליו *commentatus est, multis argumentis refelluntur.*

§ XXXVI. *Probatur Clericum minus recte phrasin* עד כי יבא *dubiam incertamque existimare.*

§ XXXVII. *Probatur, verba Clerici,* Quomodo autem (*particula* עד) sit exponenda, res ipsa, si modo loquenti satis nota fuit, ostendit, *vel plane non cohærere, vel etiam cum impietate conjuncta esse.*

§ XXXVIII. *De vocabulo* שילה. *Recte à Clerico rejici, quæ* שלו *vel* שלוה *legunt.*

§ XXXIX. *Nec eos sequendos esse, qui de vocabuli derivatione prorsus non sunt soliciti.*

§ XL. *Neque etiam à* שיל *vel* שלה *deducendum.*

§ XLI. *Sed pacificatorem notare, iis simul confutatis, quæ Clericus objecit.*

§ XLII. *Clerici de* שילה *sententia exponitur.*

§ XLIII. *Varii Clerici errores breviter ostenduntur.*

§ XLIV. *Quantas ambages sectetur, dum* שילה finem cessationemque *notare vult, luculenter ostenditur.*

§ XLV. *Urgetur eo, quod sibi non constet, utrum* שילה *sceptri an legislatoris, an deniq; Judæ finem cessationemque designet.*

§ XLVI. *Tota ejus interpretatio ex accentuum ratione confutatur.*

§ XLVII. *Auctoritas accentuum ab exceptione Clerici vindicatur.*

§ XLVIII. *Alii exceptioni occurritur.*

§ XLIX. *Probatur, secundum Clericum* שילה *dicendum non fuisse, sed* שילם.

§ L. *Alia quædam breviter explicantur.*

§ LI. *Exemplis demonstratur, sententiam Clerici historiæ Judaicæ repugnare.*

§ LII. *Adeoque eventum non respondisse vaticinio, si ipsius interpretatio vera esset.*

§ LIII. *Clerici interpretationem prorsus à Jacobi scopo alienam esse.*

§ LIV. *Ad exceptiones, quæ afferri possunt, respondetur.*

§ LV. *Ostenditur, nihil absurdius fingi posse, quam* שילה *finem cessationemque Judaici populi notare.*

§ LVI.

§ *LVI. Probatur, paraphrasin Clerici cum commentario, commentarium cum Prolegomenis non cohærere.*

§ *LVII. Argumentis efficitur,* ולו יקהת עמים *ad Shilo, non ad Judam referendum.*

§ *LVIII. Idem collatis quamplurimis Esaiæ vaticiniis confirmatur.*

§ *LIX. Obiter ostenditur,* obedientiæ *significationem à Clerico minus recte improbari.*

§ *LX. Nullum tamen incommodum nostræ sententiæ nasci, si vel maxime conventus significatio admittatur.*

§ *LXI. Omnino autem* יקהת *legendum esse, non* יקהתו *aut* יקהלו.

§ *LXII. Pauca quædam de* Gen. xlix. 11, 12. *monentur.*

§ *LXIII. Urgetur vis argumentorum, quæ contra Clericum fuerunt allata.*

§ *LXIV. Exemplis quibusdam ostenditur, Clericum minus reverenter de literis divinis scripsisse.*

§ *LXV. Idem adhuc aliis exemplis commonstratur.*

§ *LXVI. Quam turpiter vocabulum Elohim depravarit.*

§ *LXVII. Quomodo illud Mosis* ורוח אלהים מרחפת *detorqueat.*

§ *LXVIII. Quomodo* Gen. iii. 15. *infirmare annitatur.*

§ *LXIX. De* Gen. iv. 1.

§ *LXX. De* Gen. v. 29.

§ *LXXI. De promissione Divina, in Abrahami semine benedictum iri omnes gentes.*

§ *LXXII. De* Gen. xlix. 18.

§ *LXXIII. De Angelo Dei, qui ipse Deus est.*

§ *LXXIV. De* Numer. xxiv. 14.

§ *LXXV. Epilogus. Subjiciuntur testimonia Judæorum.*

Τῷ δ δυναμένῳ φυλάξαι ἡμᾶς ἀπταίστους, καὶ στῆσαι κατενώπιον τῆς δόξης αὐτοῦ ἀμώμους ἐν ἀγαλλιάσει, Μόνῳ σοφῷ Θεῷ σωτῆρι ἡμῶν δόξα καὶ μεγαλωσύνη, κράτος καὶ ἐξουσία, καὶ νῦν καὶ εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Sequi-

Sequitur jam illa, cujus §. LXVI mentio injecta est,

Dissertatio

Utrum nomen Elohim a profano Cananæorum errore originem ducat:

Auctori Judicii de

RICHARDI SIMONII

Historia V. T. Critica

oppositа.

Habita olim Vitembergæ, Resp. Elia Martino Eyringio Fecha Franco, & Summe Rever. Dno. D. JOH. DEUTSCHMANNO, Theologo longe Celeberrimo, dedicata.

Lector Benevole,

QVIS Judicii de Richardi Simonii Historia V. T. Critica *Auctor vulgo perhibeatur, notius est, quam ut à me prolixe exponi oporteat. Ea de re Simonius in* responsio, *Witsius in* Miscellaneis sacris, *Lipsienses in opere, quo* acta eruditorum *continentur An.* M DC XXCVI, *p.* 432, *seqq. &* XXCVII, *p.* 364, *seqq. imprimis autem Poiretus de eruditione vera superficiara & falsa, videantur. Nec desunt argumenta rerum, quibus illud, quod publica & constans admodum fama tradidit, probabilius reddatur. Qui Enarrationem Geneseos cum* Judicio *contulerit, reperiet, quæ à* Judicio *non abludant. Mosen tamen Pentateuchi auctorem esse in eodem opere statuit, & peculiari Dissertatione confirmat. Salomon à Till illam* A. J. *de sacerdote Samaritano Pentateuchi scriptore opinionem, Noalliode Verse tribuit, ut conjicere est ex Actis Anno* M DC XCV. *p.* 398. *Plures etiam in ferendo de* Simonii Historia V. T. *Critica judicio operam posuisse, tum ex titulo, quem* Judicium *præfert, tum ex Simonii supra adducto scripto verisimile fit. Sed quomodo hæc omnia cohæreant, ad me non pertinet. Mihi sufficit, rem ipsam dixisse, veritatem confirmasse argumentis, ea quæ in erratis erant, confutasse. Manet immota veritas, à quocunque demum oppugnetur.*

I. Divini

I. N. D. J.

I DIvini Veteris Inſtrumenti Scriptores de Deo in plurali (ut technici vocant) numero loquuntur. Ejus rei originem à Cananæis plures ſibi Deos fingentibus repetendam Auctor Judicii de Richardi Simonii Hiſtoria V.T. Critica arbitratur. Certum mihi deliberatumq; eſt, hanc ejus ſententiam argumentis rerum B. C. D. confutare. Optimi præfaminis inſtar erit, nihil eſſe præfatum. Rem ipſam aggrediar, nec multa verborum ambage morabor lectorem.

II. Plurimum vero intereſt, ut de mente auctoris conſtet. Eam verbis ipſius potius quam meis explicabo. *En effet* (inquit p. 426) *ſi l'on y prend garde, on trouvera dans cette langue pluſieurs maniéres de parler Payennes, que d'autres ont deja remarquées. La coutume de donner à Dieu un nom pluriel, ne peut venir que de l'opinion de ceux qui croyoient la pluralité des dieux ; & les Hebreux, qui ſe ſont ſervis de la langue qu'ils avoient appriſe dans la Paleſtine, n'ont fait autre choſe, que joindre à ce mot un verbe ſingulier, & luy donner une ſignification ſinguliére. Mais il n'y a pas d'apparence que ſi cette langue s'etoit conſervée depuis Adam, lui, ou les premiers Patriarches ayant un nom ſingulier de la Divinité, ſe fuſſent aviſez de lui en donner un pluriel, dans un temps, ou ils etoient entiérement perſuadez de l'unité d'un Dieu.* Elohim. Eloah. Res eo redit. Dei nomen in plurali numero enuntiandi conſuetudo, non ab aliis originem ducere poteſt, quam illis, qui plures ſibi finxere Deos. Ebræi, cum in Palæſtina viverent, Cananæorum ſermonem didicere. Inde

frequens est vocabuli *Elohim* apud Ebræos usus. Ceterum, eodem sensu, ac si singularis numeri esset, vocem efferunt. Quare & cum ejusdem numeri verbo conjungunt. Hinc nec à conditu orbis Ebræi sermonis initium licet arcessere. Unum enim Numen esse, quod omnia moderetur, Adamus & reliqui Patriarchæ firma constantique sententia tenuerunt. Qui cum vocabulum singularis numeri haberent, quo enuntiarent Deum, numerum eos pluralem addidisse verisimile neutiquam sit.

III. Infirmior hæc argumentandi ratio videtur. Linguam, qua Judaica gens usa fuit, & Vet. Testamenti Codex conscriptus exstat, rivulum esse non fontem, sororem non matrem Orientalium linguarum existimat. Illam, quæ primis parentibus in usu fuerit, jam diu invidiosæ succubuisse vetustati. Nonnisi in aliis sermonum generibus exiguas antiquissimi sermonis reliquias superesse. Nullam mereri fidem, nec ulla se probabilitate commendare, quæ de peculiari Ebrææ linguæ sanctitate Magistri Judæorum somniaverint vigilantes, & comminisci maluerint, quam commentari. " Monſ. Huet prouve fort " bien dans la Démonſtration Evangelique, que la " langue Hebraique etoit celle des Cananéens, & " que cette premiere Langue eſt touta fait perdue, " à moins, qu'il n'en ſoit reſté quelques veſtiges dans " les differens langages de l'Orient. Ainſi tout ce, qu'on croit de la ſainteté de la langue Hebraï- " que, comme ſi Dieu l'avoit inventée, & de la ma- " niere dont elle s'eſt conſervée, à ce qu'on dit, dans " la ſeule famille d' Heber. ne ſont que des ſonges " de Rabbins, qui n'ont aucune vrai-ſemblance, *p.* 426. Contra Huetium in præſens non differo. Mihi ſufficiet oſtendiſſe, non ſufficere inſtituto A. J. argumentum. *Multas*, inquit *apud Ebræos phraſes inventas*,

ventas, quæ redolent Ethniciſmum. Falluntur ergo, qui Ebræorum ſermonem antiquiſſimum ſtatuunt. Sed quomodo hoc inde confici queat, haud video. Id quidem dubio vacat, primos humani generis Parentes Unum rerum omnium Parentem coluiſſe. Unum eſſe noverant Deum, cui nec cum alio conjunctum imperium eſſet, nec diviſum. Vani ſuperſtitioſique plurium deorum cultus nec umbra in Paradiſo fuit: hinc nullas quæ Ethniciſmum redoleant phraſes primis Parentibus tribuendas libens concedo. Sed ab una alteraque phraſi ad integram linguam non valet collectio. Una eademque lingua Adamus & Noachus, Abrahamus & David uſi ſunt. Quin tamen ſubinde vocabula quædam, loquendique formæ acceſſerint, dubitari vix poteſt. Uſus eſt rerum Dominus, ſed verborum tyrannus. Is ſi voluerit

Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula.

Hinc nihil obſtabit, quo minus ipſa lingua antiquiſſima & in ipſo Paradiſo orta, phraſes autem quas Ethniciſmum ſapere A. J. quamvis ſine cauſa exiſtimat, recentiores & longo poſt tempore natæ ſtatuantur. Sic Judæorum ſcripta Græcis vocabulis ſcatent, ut inde maxima ſæpe difficultas hodiernis Judæis Soharem alioſque Veterum libros legentibus injiciatur. Quis autem Græcorum ſermone conſcripta diceret? Non parvum inter Græcorum dialectos diſcrimen, nec pauca tamen vocabula diverſis dialectis communia ſunt. ~~Ex Græco ſermone multum Romani traxere, à quibus non in privatis modo colloquiis ſed & publicis Patrum decretis Græca vocabula diverſis dialectis communia ſunt.~~ Ex Græco ſermone multum Romani traxere, à quibus non in privatis

Tranquillus de Cæſaribus Lib. 3. c. 71.

modo colloquiis ſed & publicis Patrum decretis Græca vocabula adhibebantur. Neque enim idem omnibus quod Tiberio in more poſitum fuit, qui ſermone Græco quanquam alias promtus & facilis, in ſenatu abſtinuit, veniamque *Monopolium* nominaturus petiit: imo ἔμβλημα è quodam Patrum decreto ejiciendum cenſuit, Latinamque vocem ſubſtituendam, aut ſi inveniri non poſſet, vel pluribus & per ambitum verborum rem enuntiandam. Nec Græcos pauca quædam à Romanis gentium dominis viciſſim deſumere puduit. Quantum Galli à Latinis, Hiſpani à Mauris, Sueci & Angli à Germanis hauſerunt? Angli quidem ut originem, ſic integram ferme linguam exteris debent. Adventibus multarum gentium mixti ſunt, & in una Anglia, Saxoniæ, Daniæ, Normanniæque populi ſedes quæſivere. Britannos etiam (hos in primis nominandos facile quis ſuſpicetur, ſed inter ultimos iis hic locum tribuere res ipſa jubet) quin & Latinos numerant inter majores. Eadem vero linguæ ratio, quæ gentis eſt. Non male Anglorum linguam arbori, ea, quæ à Saxonibus accepere vocabula, ſtirpi, quæ vero à Latinis Galliſque deſumſerunt, ramis undique excreſcentibus contuleris. Eſt in media Anglia gens Cambrorum magis propria ſuique ſimilis, nec tot aliarum nationum connubiis infecta. Hæc ab antiquis Britannis ducit originem, qui Saxonibus Britanniam quaſi quodam diluvio & inflammatione corripientibus in hanc ſe Britanniæ partem recepere, ut cum armis inferiores eſſent, montana regione defenderentur. Superiori ſeculo in unam cum Anglis nationem ex publico Anglici Senatus decreto coaluit. Inde privilegiis juribuſque prorſus iiſdem fruitur, nomen tamen & antiquum ſermonem conſervat. Aſper eſt, & pronunciatu difficilis. Unde

de raro ab Anglis, rarius à peregrinis addiſcitur. Nam apud hos imprimis ſtudium cum ſpe ſeneſcit, & quod ſine maximo, nec multum fructus pollicente labore aſſequi non poſſunt ſequi deſinunt. Cambris tamen frequens cum Anglis conſuetudo eſt; Anglice quoque loqui frequentes addiſcunt. Jam quanta vis conſuetudinis & viciniæ ſit, nemo ignorat. Quis dubitet, & ex ea Cambris aliquid hærere, ac pauca quædam vocabula loquendique formas ex Anglica in Cambrorum linguam paulatim irrepere? Nunc opus eſt, ut ad controverſiam quæ mihi cum A. J. intercedit, dicta accommodem. Nemo qui κῦρον aut τίτλον aut alia ex Latinorum ſermone tranſlata legerit in Scriptis Græcorum, palmam antiquitatis invita omni antiquitate Græcis eripiet, Latiniſque concedet. Fingamus, (cur enim non liceat aliqua fingere, ut veritas tanto clarius illuceſcat?) nec Cambrum nec Anglicum ſermonem amplius niſi in ſcriptis ſupereſſe. Igitur ſi quis Cambros legat, ſi vocabula quædam aut loquendi formulas ad Anglorum morem compoſitas reperiat, indene conficere poterit, falſa eſſe, & ab otioſis hominum ingeniis conficta, quæ de linguæ Cambricæ antiquitate dicuntur? Nonne reſponſio in promtu erit, id cunctis gentibus nationibuſque ſemper eveniſſe, ut non magis ex vicinorum moribus, quam lingua aliquid haurirent? Vix hominem reperiri, cui non vel invito & reluctanti conſuetudo aliquid allinat: multo minus id de integris populis nationibuſq; negandum. *Gallos, Suecos, Germanos, Italoſq;* documento eſſe. Pari vero ratione nunc argumentum A. J. refellam. Urget ille, phraſes in Hebræo ſermone reperiri, quæ Ethniciſmo falſoque plurim deorum cultui originem debeant. Sit ita, (diſputo jam ex hypotheſi) quid inde conficietur? *Cur igitur natam in Paradiſo dicis, cur anti-*

quissimam omnium linguarum prædicas? Num impiis Ethnicorum sacris antiquior erit, ex quibus formulas loquendi accepit? Imo vero propterea necesse non est, ut fidem adjungam, aut assertione approbem Auctoris sensentiam. Potuit Hebræa lingua primis parentibus in usu esse, potuit ad seros transmitti nepotes, antequam phrases illæ quæ Ethnicorum sacra sapiunt, nascerentur. De lingua agitur, non de paucis loquendi formis. Has si mihi demonstraverit *Auctor*, non renuam, quo minus posteriores Ethnicorum sacris dicantur. Nihil tamen propterea ipsius linguæ antiquitati decedet. Quod si excipiat *Auctor*, Deum permissurum non fuisse, ut lingua sanctissima pariter atque antiquissima phrasibus Ethnicis inficeretur: hæc quidem Ratio pondere non carebit. Sed ita sibi ipsi repugnabit. Nam V. T. volumen sanctissimum esse negare non poterit. Cur ergo phrases quæ Ethnicissmum sapiant in eo quærit? Igitur, quocunque se vertat, constrictus tenebitur.

IV. At unde constat infectum Hebræorum sermonem phrasibus, quæ impiis Ethnicorum opinionibus debeantur? Auctor ad exempla provocat. Primo loco id urget, quod Hebræi de Deo in plurali (ut technici vocant) numero differere soleant. Hoc velut arietem fortissimum in primam aciem producit, in hoc præcipuum quærit argumentationis robur. Operæ igitur pretium erit, de eo dispicere. In aprico est, quod eo causa contineatur omnis, utrum vocabulum Elohim, nonnisi ab Ethnicis originem trahere queat. Id si evicerit *Auctor*, nil dici contra vel poterit vel debebit. Quid igitur affert? *Verisimile neutiquam est, Adamum aut Patriarchas, qui unum esse Deum certo firmiterque statuebant, pluralis numeri vocabulo supremum enuntiasse Numen*

men, cum ſingularem haberent. Atqui hoc pronunciatum firmis indiciis demonſtrari intererat. *Auctori* quidem *Judicii* veriſimilis res non videtur; at ego non veriſimilem tantum, ſed & longe veriſſimam eſſe ac omni dubitatione vacare exiſtimo. Noverat ſane (quod Theologi accurate docent) Adamus, noverant Patriarchæ omnes unum eſſe Deum, ſed & plures in una eſſentia Divina eſſe perſonas noverant. Non minus atque nos ἕνα Θεὸν ἐν τριάδι καὶ τριάδα ἐν μονάδι ſumma animi veneratione proſequebantur. Quis dixerit primos Parentes, cum pari Angelis felicitate fruerentur, Deum à quo conditi erant, ignoraſſe? Nemo autem vera Dei notitia pollet, quiſquis vel Patrem, vel Filium vel Divinum Spiritum ignorat. Quin etiam, cum amœniſſimæ Paradiſi domicilio ejecti vitam cum triſti felicitatis amiſſæ recordatione conjunctam degerent, non aliam ſententiam ſequebantur. Ipſo Deo monente didicerant ſemen ex muliere oriturum, quod caput conculcaret ſerpentis. Igitur Dei Filium pœnas peccatis hominum debitas in ſe ſuſcepturum non ignoravere. Tum vero nullus cœleſti Patri cultus placere poteſt, ſi Filii non ita ut par eſt, ratio habetur ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα τὸν πέμψαντα αὐτὸν, luculentum & omni exceptione majus eſt Servatoris optimi effatum Joh. v. 23. Sanctiſſimum vero Spiritum quomodo non noſſent, imo non colerent, & eadem qua Patrem ac Filium veneratione proſequerentur, ſine cujus auxilio nec vera fiducia complecti Deum, nec precari ardenter, nec ullam rem divinam recte, & animo ad ſupremi Numinis voluntatem compoſito facere poterant? Hæc omnia cum ipſos non fugerent, cur non de Deo in plurali numero poſſent loqui? Quid eſt, quod ad Cananæos confugere, & inde originem vocabul

Elohim arceſſere cogat? Porro ſi nominis Elohim origo nonniſi ab iis repetenda eſt, qui plures ſibi finxere Deos, quid fiet de clariſſimo Johannis dicto τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσι. 1 Joh. v. 7. Num Johannes unum eſſe Deum negavit? an Cananæorum ſermonem imitatus eſt? Atqui pluralem numerum adhibet, cum de Supremo Numine loquitur. Id ſi Divini N. T. Scriptores veſtigia Chriſti ſecuti faciunt, cur Patriarchæ pluralis numeri vocabulo uti non potuerint? Nimis ille ſuſpicax foret, qui propterea graviſſimi erroris reos perageret. Firmioribus igitur argumentis A. J. inſtructus ſit oportet, ut hoc ſacro ſanctum vocabulum è Gentilium ſchola prodiiſſe confirmet. Nervus prudentiæ eſt, non temere credere. De vocabulo quidem eſt quæſtio: Sed à quo res maximi momenti pendet. Qui diviniorem ſcientiam profitentur, in hac voce ingens, & quod humanam prudentiam longe ſuperat, myſterium quærunt. Multis etiam graviſſimiſque rationibus utuntur, ut non tam quærere ibi myſterium quam inveniſſe cenſendi ſint. Multi eas refellere conati ſunt; ſed adhuc intra conatum ſubſtitere. Non me præterit, quod modis variis rem aggrediantur: Verum, quod tanta in diverſitate verſantur, cauſam eorum non facilem non vincibilem reddit, ſed ſuſpectam. Nam veritas ſimplex eſt, nec ſecum pugnat, aut anxie diverticula reſpicit, per quæ elabatur. Nunc tam ſanctum Hebræorum de Deo loquendi morem à Cananæa impietate *Auctor Judicii* deducit. Quod illa ratio, qua ſententiam ſuam probare nititur, non ſtringat, jam vidimus. Parum apud nos valet præjudicata opinio, nec quis dicat, ſed quid dictum ſit, diſpiciendum arbitramur. Modo maximam ſermonis Hebræi antiquitatem

tatem oppugnabat, eo ductus argumento, quod V. J. ſcriptores phraſibus ab impiis Gentilium erroribus deductis uterentur. Quam ſit imbecilla collectio, apparet. Tanto magis cavendum, ne pro certis incerta, pro manifeſtis dubia, pro veris denique falſa obtrudantur. Non poterit *Auctor* in deteriorem partem accipere, quod temere ſententiam ejus amplecti detrectemus. Nihil exiſtimat turpis quam cognitioni & perceptioni aſſertionem approbationemque præcurrere. Idem nobis videtur. In iis, quæ omnium ſeculorum firmo ſtabilique cenſenſu confirmata ſunt, A. J. ſe inveniſſe profitetur, quæ mentem ſibi dubiam fecerint. Quid certius eſt, quid majorem omnium ſeculorum conſenſum habet, quam confuſas gentium (quæ turri Babele extruendæ operam navabant) linguas unum quo antea utebantur ſermonis genus cum plurimis commutaſſe? Atqui hoc in dubium revocat *Auctor*. Verba Sacri Textus *Gen.* xi. 1. ambigua putat. שפה אחת ודברים אחדים non neceſſario unam eandemq; linguam ſignificare. Forte de mutuo pariter atq; firmo tot gentium in extruendo immenſo opere conſenſu agi. Confuſas adeo linguas dici, quod ſingulari ſupremi Numinis providentia tot populorum conſenſus in diſcordiam verſus ſit. Sic tanta mortalium conſilia divinitus everſa. *Vide conjecturam Autoris (nam nonniſi pro Conjectura eaque veriſimili quidem ſed tamen incerta venditat)* p. 436, 437, 438. Quod ſi A. J. res tam certas atq luculentas in dubium revocare licet, nec mihi vitio vertet, quod à rebus incertis aſſenſionem ſuſtineam, neque alia me ſecuturum profitear, niſi quæ firmis indiciis conficiantur. Nam cum ille nodum in ſcirpo inveniat, non mihi ſcirpus habendus erit, ubi varios nodos primo ſtatim reperio aſpectu.

V. Id

V. Id hactenus egi, ut in rationum momenta, quibus portentosa de nomine Elohim sententia nitebatur, inquirerem. Nudata nunc omni præsidio est. Tempus est ultra proferre pedem, & periclitari vires utrum plus argumenta mea valitura sint ad opinionem *Auctoris* oppugnandam, quam rationes illius ad evertendam nostratium sententiam valuere. Prorsus verisimile non fit, Divinum Spiritum barbaram & veri cultus ignaram Cananæorum gentem in re tanta imitatum. Indignum Divini Spiritus majestate foret, eo vocabulo Deum appellare, cujus (si A. J. sententiam sequamur) nulla unquam mentio futura, nisi Gentiles vero supremoque Numine præterito vel potius deserto, falsos sibi Deos finxissent. Israelitis Cananæorum consuetudo severissimis legibus prohibita erat. Non cum iis contrahenda affinitas, non utendum iis familiarius, pellendi sedibus suis, altaria, quibus ad impia sacra abutebantur, destruenda, statuæ & imagines deorum confringendæ, lucis subjiciendus ignis, ipsam denique Cananææ gentis memoriam deleri oportebat. Parcere devotæ genti, Deo exosæ nationis misericordia tangi, adeoque pluris Cananæos, quam Dei mandatum facere, ingens & posteris quoque nociturum crimen erat. Causam tam severæ legis Divinæ nos tabulæ docent. *Ut non doceant eos facere juxta omnes abominationes ipsorum, quas fecerunt diis suis, vos autem peccetis Jehovæ Deo vestro.* Deut. XX. 17. Nimirum grave periculum erat, ne familiariori cum Cananæis consuetudine à veri Dei cultu se abduci paterentur. Nolebat igitur Deus, Judæos ea à Cananæis haurire, quæ in avitam religionem forent injuria. Quis credat, scriptores Divino spiritu afflatos fecisse, quod ne Israelitæ committerent, tam graviter admonuere? Quis credat docuisse ver-

verbis, nocuiſſe exemplo? Nomen בעלי ſanctum omnino erat. Nihil ibi erroris graviſſimi latebat, nihil impietatis. Eccleſiam ſibi Deus deſponſat, nec minori quam maritus conjugem amore proſequitur. Nomen tamen vocabulumque בעל renuebat *Eritque in die iſto, dictum Jehovæ; vocabis* אישי *marite mi, & non vocabis amplius* בעלי *Baal mi.* Hoſ. ii. 19 Id non aliunde niſi ex impii cultus odio oriebatur. Nempe, Iſraelitis horrenda Baalitarum ſacra ſequentibus nec memoriam nominis ſupereſſe volebat. אישי volebat appellari, non בעל, ne (ſicut Hieronymus ſatis acute ſed & ſatis ſolide dicit) dum aliud loqueretur Eccleſia, recordaretur alterius, & virum nominans, Idolum cogitaret. *Confer. Grotius, quam A. J. permagni æſtimat, in adductum Hoſeæ locum.* Non alii, non idolis gloriam ſuam concedit Deus. *Et gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam Sculptilibus.* Eſ. c. 42. 8. Multo minus ab Idolis, & profanis Idolorum cultoribus nomen accipiet, quo appelletur.

VI. *Auctori* parata erit exceptio. Perperam cuncta, quibus ſacri ſcriptores utantur, verba (horret animus referre illa, quæ in Divinas Scripturas injuria ſunt) Divino Spiritui adſcribi. Hebræos retuliſſe in Canonem fragmenta, quæ ex antiquiſſimis ipſorum ſcriptis reſtabant. In eorum fuiſſe numero libros vere Propheticos, fuiſſe etiam nonnullos ab auctoribus aliis proditos. Prophetas quidem expoſuiſſe fideliter, quæ in mandatis habebant, uſos autem non Dei, ſed ſuis ipſorummet verbis, niſi peculiaris aliqua ratio aliud ſuaderet. Hiſtoricis Sacris habendam fidem, non quidem, quod afflati Divino Spiritu ſcripſerint, ſed quod pios cordatoſque homines fuiſſe conſtet, qui nihil in commentarios retulerint, niſi quod ſuis viderint oculis, vel de-

depromſerint ex annalibus fide digniſſimis. Id ex ipſa re, Chriſtique Hiſtoriam Hebræorum approbantis teſtimonio patere. Res tamen potius ſequendas quam verba. In iis etiam, quæ ad circumſtantias rerum geſtarum pertineant, ſæpe memoria lapſos, ſæpe ſibi invicem contradicere, ſæpe denique minus accurato ordine uti. *Les contradictions qu'ils trouvent dans l'Ecriture, le ſtile peu relevé des Ecrivains ſacrez, le peu d'ordre que l'on voit ſouvent en leurs penſées*, p. 286. Expedire, ut ne quidem ea defendere conemur, in quibus humanæ fragilitati obnoxii fuerint, potius quam ut contortis explicationibus ſcriptoribus ſacris vim adferamus, cum alias non bona fide veritas quæri, ſed pertinacia indui pro qualibet cauſa videatur. Ita enim mentem M. N. explicat A. J. Ejus ſententiam quidem palam non approbat. Haud leve tamen indicium eſt, A. J. à portentoſis hujuſmodi opinionibus alienum non eſſe, quod ſententiam, quæ ſine gravi commotione vix audiri poteſt, ſine ullius indignationis veſtigio tam fuſe operi ſuo inſerere ſuſtinuerit. Præterea nec paucis, nec imbecillibus argumentis niti aſſerit. *Il ſeroit extrêmement à ſouhaiter, que quelque perſonne habile & judicieuſe entreprît de traiter cette matiére à fonds, contre nôtre Auteur, mais ſans chaleur & ſans emportement. Ce ſentiment eſt ſoûtenu de tant de preuves, & de raiſonnemens qui paroiſſent ſi forts, qu'encore que je concoive ſans peine, qu'on le peut rendre fort odieux & entirer des conſequences tres-malignes, je vous avoue, que je ne ſai pas bien, par quels principes on le pourroit détruire*, p. 245. Paſſim etiam in *Judicio* reperias, quæ magnam cum his erroribus affinitatem habent. *Les Auteurs ſacrez ne ſont pas fort exacts dans les noms*, p. 111. *Il n'y a auſſi gueres moins de confuſion dans l'Hiſtoire Critique, que l'on en peut trouver dans les Livres Hiſtoriques de*

la

la Bible, p. 172, conf. p. 83. f. Non permittit inſtituti ratio, hanc opinionem ex inſtituto confutare. Satis jam ſatis ab aliis Celeberrimis Viris confutata ſunt, quæ M. N. in medium produxit. Igitur ex hypotheſi cum Judicii Auctore agam. Si vel maxime Sacri Scriptores non ex tactu afflatuque Divino ſcripſiſſent, (quod tamen aſſeri niſi everſo Chriſtianæ religionis fundamento nequit) cognitum nihilominus eſt, & exploratum, Deum vocabulo אלהים ſe appellaſſe. Non enim tantummodo id reperitur vocabulum, cum ſcriptores Sacri de Deo loquuntur, ſed & cum Deus loquitur de ſe ipſo. Ut omnis rima elabendi obſtruatur, nec A. J. exceptionem M. N. p. 224. in ſuos conferat uſus; tabulas legis in ſubſidium voco. Decem præcepta Deus tabulis inſculpſit, ne homo iis ſe legibus teneri ægre ferret quas Deus proprio digito exaraverat. *Erant autem tabulæ opus Dei, itemque Scriptura erat Scriptura Dei, exciſa ſuper tabulis*, Ex. xxxii. 16. Eos quidem confringebat Moſes, graviter Iſraelitarum ſcelere commotus, *v.* 19. Sed quæ Dei benignitas erat, Moſi, ut alias ſibi præpararet, præcepit. Hoc enim, ſi rem accurate conſideres, diſcrimen priores poſterioreſque tabulas interceſſit. Priores ſolus confecit Deus, nec ullius hominis opera uſus eſt. Poſteriores Moſes præparavit, quibus Deus decem præcepta iterato inſcriberet. Exod. xxxiv. 1. *Deinde dixit Jehovah ad Moſen; Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicuti* (erant) *priores, ut ſcribam ſuper tabulas verba, quæ fuerunt ſuper tabulis prioribus quas fregiſti.* Conf. *Deut.* x. 2, 4. Atqui non minus ibi quam in aliis ſacræ ſcripturæ locis vocabulum, de quo jam contra Auctorem Judicii diſputo, in plurali numero occurrit. Porro אלהים vel millies, אל vix 60gies in Veteris Inſtrumenti Codice reperitur

depromſerint ex annalibus fide digniſſimis. Id ex ipſa re, Chriſtique Hiſtoriam Hebræorum approbantis teſtimonio patere. Res tamen potius ſequendas quam verba. In iis etiam, quæ ad circumſtantias rerum geſtarum pertineant, ſæpe memoria lapſos, ſæpe ſibi invicem contradicere, ſæpe denique minus accurato ordine uti. *Les contradictions qu'ils trouvent dans l'Ecriture, le ſtile peu relevé des Ecrivains ſacrez, le peu d'ordre que l'on voit ſouvent en leurs penſées*, p. 286. Expedire, ut ne quidem ea defendere conemur, in quibus humanæ fragilitati obnoxii fuerint, potius quam ut contortis explicationibus ſcriptoribus ſacris vim adferamus, cum alias non bona fide veritas quæri, ſed pertinacia indui pro qualibet cauſa videatur. Ita enim mentem M. N. explicat A. J. Ejus ſententiam quidem palam non approbat. Haud leve tamen indicium eſt, A. J. à portentoſis hujuſmodi opinionibus alienum non eſſe, quod ſententiam, quæ ſine gravi commotione vix audiri poteſt, ſine ullius indignationis veſtigio tam fuſe operi ſuo inſerere ſuſtinuerit. Præterea nec paucis, nec imbecillibus argumentis niti aſſerit. *Il ſeroit extrêmement à ſouhaiter, que quelque perſonne habile & judicieuſe entreprît de traiter cette matiére à fonds, contre nôtre Auteur, mais ſans chaleur & ſans emportement. Ce ſentiment eſt ſoûtenu de tant de preuves, & de raiſonnemens qui paroiſſent ſi forts, qu'encore que je conçoive ſans peine, qu'on le peut rendre fort odieux & entirer des conſequences tres-malignes, je vous avoue, que je ne ſai pas bien, par quels principes on le pourroit détruire*, p. 245. Paſſim etiam in *Judicio* reperias, quæ magnam cum his erroribus affinitatem habent. *Les Auteurs ſacrez ne ſont pas fort exacts dans les noms*, p. 111. *Il n'y a auſſi gueres moins de confuſion dans l'Hiſtoire Critique, que l'on en peut trouver dans les Livres Hiſtoriques de*

la

la Bible, p. 172, conf. p. 83. f. Non permittit inſtituti ratio, hanc opinionem ex inſtituto confutare. Satis jam ſatis ab aliis Celeberrimis Viris confutata ſunt, quæ M. N. in medium produxit. Igitur ex hypotheſi cum Judicii Auctore agam. Si vel maxime Sacri Scriptores non ex tactu afflatuque Divino ſcripſiſſent, (quod tamen aſſeri niſi everſo Chriſtianæ religionis fundamento nequit) cognitum nihilominus eſt, & exploratum, Deum vocabulo אלהים ſe appellaſſe. Non enim tantummodo id reperitur vocabulum, cum ſcriptores Sacri de Deo loquuntur, ſed & cum Deus loquitur de ſe ipſo. Ut omnis rima elabendi obſtruatur, nec A. J. exceptionem M. N. p. 224. in ſuos conferat uſus; tabulas legis in ſubſidium voco. Decem præcepta Deus tabulis inſculpſit, ne homo iis ſe legibus teneri ægre ferret quas Deus proprio digito exaraverat. *Erant autem tabulæ opus Dei, itemque Scriptura erat Scriptura Dei, exciſa ſuper tabulis*, Ex. xxxii. 16. Eos quidem confringebat Moſes, graviter Iſraelitarum ſcelere commotus, *v.* 19. Sed quæ Dei benignitas erat, Moſi, ut alias ſibi præpararet, præcepit. Hoc enim, ſi rem accurate conſideres, diſcrimen priores poſterioreſque tabulas interceſſit. Priores ſolus confecit Deus, nec ullius hominis opera uſus eſt. Poſteriores Moſes præparavit, quibus Deus decem præcepta iterato inſcriberet. Exod. xxxiv. 1. *Deinde dixit Jehovah ad Moſen; Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicuti* (erant) *priores, ut ſcribam ſuper tabulas verba, quæ fuerunt ſuper tabulis prioribus quas fregiſti.* Conf. *Deut.* x. 2, 4. Atqui non minus ibi quam in aliis ſacræ ſcripturæ locis vocabulum, de quo jam contra Auctorem Judicii diſputo, in plurali numero occurrit. Porro אלהים vel millies, — vix ſexies in Veteris Inſtrumenti Codice reperitur

tur. Quis ſibi perſuaderi patiatur, Prophetas fere ſemper אלוה, quo Deum utentem audiebant, cum אלהים commutaſſe? Num credibile eſt, Viros, qui à divino ore pendebant, vulgum potius, quam Deum ſibi loquentem imitatos? Non unus aut alter Prophetarum ſed omnes V. Inſtrumenti Scriptores hoc vocabulum adhibent. Cur non vel unus Prophetarum vulgi conſuetudinem mutavit, atque abrogavit? Sanctiſſimi enim Viri quid optime fieret, non quid uſitatiſſimum, quærebant, nec ea ſibi ſequenda arbitrabantur, quæ magno aſſenſu recepta erant, quorumque exempla ingenti numero reperiebantur. Ibant, non qua ire videbant alios, ſed qua eundum, nec pecorum ritu ſequebantur antecedentium gregem. Abſit igitur, ut exiſtimemus non ad pietatem ſed ad ſimilitudinem ſe compoſuiſſe. Subeat ſane mirari, tot ſeculis ne unicum quidem in tanta ſanctiſſimorum Virorum corona repertum, qui rationem loquendi ex profano Cananæorum cultu natam obſervaret, qui commodiorem ſubſtitueret, moneretque populares, ne amplius plurali אלהים ſed potius ſingulari אלוה uterentur. Neque res ardua erat, aut magnæ difficultatis, voculam quandam aut phraſin corrigere, quæ ſupremo Numini minus conveniret. Parum intererat, utrum Vir Prophetico ſpiritu afflatus, & futurorum ex ſanctiori cum Deo commercio præſcius נביא an רואה diceretur. Et tamen qui antiquitus רואים, elapſis annis compluribus נביאים ſolebant appellari. *Olim in Iſraele ita dixit vir quando ivit ad quærendum Deum, Ite & abibimus ad Videntem, nam* נביא *Propheta* (qui) *hodie dicitur, dicebatur olim-Videns* רואה. 1 Sam. ix. 9. Tantum poterat uſus! Quis igitur dubitet, hanc phraſin quoque cum alia commutari potuiſſe, ni Viris Sanctis & ad Dei

col-

colloquium admiſſis, ni ipſi ſupremo rerum omnium arbitro fuiſſet approbata. Manet igitur, Deum vocabulo אלהים ſe appellaſſe, & ab aliis appellari voluiſſe. Verumenimvero tum id quoque explicare abundanterque conſtabit, quod §. V. demonſtrandum ſuſcepi, profanum Cananæorum errorem ſanctiſſimo Dei nomini nec occaſionem nec ortum dediſſe.

VIII. Liceat nunc eſſe cognoſcendi cupido, quo potiſſimum tempore Iſraelitæ antiquo ſermoni oblivione inducta Cananæum receperint. Primum Abrahamus reliquit patriam, & ex Chaldæa Charras, Charris in Canaan migravit, Deum ducentem ſequuturus. Porro Iſaacus & Jacobus in eadem regione habitarunt, quam ſe illorum poſteris olim daturum Deus receperat. Jacobus in Ægyptum conceſſit. Ibi Patriarcharum familia tantopere aucta numero & amplificata fuit, ut non amplius familiæ contineretur auguſtiis, ſed gens magna & potentiſſimo Ægyptiorum imperio formidabilis evaderet. Injuriis Ægyptiorum agitatam, & ad extruendas urbes violenter adactam Deus liberavit, in deſertaque ſolitudine per XL annorum ſpatium commoratam in regiones majoribus promiſſas deduxit. Aut igitur Abrahamus ſtatim & Patriarchæ, aut Iſraelitæ Patriarcharum poſteri poſt exitum ex Ægypto à majoribus acceptum ſermonem mutavere. Illud prorſus viſum & aſpectum illuſtrem non habet; Hoc ſi A. J. aſſeruerit, neutiquam tamen cauſam ejus adjuvabit. De eo nunc non diſputo, utrum Abrahamus linguam Cananæorum didicerit, ut colloqui cum hominibus poſſet; id in cauſa eſt, utrum Cananæorum linguam cum poſteris ſuis adſciverit, & ſibi fecerit propriam, ut avito tandem ſermoni, Cananæo ſuccedente, oblivio

livio induceretur. Iſraelitæ per IV. ſecula in Ægypto commorati ſunt, nec tamen Moſes Ægyptiace ſed Hebraice ſcripſit. Germani in Anglia cum indigenis Anglice, cum popularibus Germanice loquuntur. Qui Hamburgi per integrum ferme ſeculum habitarunt Luſitani, noſtram Linguam callent, ſed nec Luſitanam ignorant. Raro nos oblivio capit linguæ, cui jam à prima infantia nos parentes aſſuefecere, cum ſicut in patriam, ita in vernaculum ſermonem naturali quodam inſitoque affectu feramur. Multo minus id de Abrahamo, & reliquis Patriarchis ſtatuendum. Aderant illis, cum quibus patrio ſermone colloquerentur, & certe ſi non aderant alii, ipſi tamen ſibi non deerant. Credemuſne Abrahamum cum Sara nonniſi Cananæo ſermone locutum, aut Iſaacum vel à conſortio parentum ita remotum, ut nunquam alias quam Cananæas voces audiret, vel ingenii fuiſſe tam ſtupidi, ut ex mutuis crebriſque parentum colloquiis nihil proficeret, vel generis ſui & aviti ſermonis adeo incurioſum, ut ſatis haberet, ſi Cananæos verba facientes intelligeret? Illud in Abrahamum, hoc in Iſaacum injurium foret. Cum Deus Abraham egredi patria & ad exteras gentes ſe conferre juberet, ea ſane id lingua mandavit, quam Abrahamus intelligebat. Qua ratione enim obtemperaret *Deo*, & ſequeretur vocantem, cujus ne quidem verba fuiſſet aſſecutus? Nec veroſimile fit, *Deum* poſt Abrahami in Canaan adventum alio ſermone cum *Abrahamo* colloquutum, quam quo antea utebatur. Illam vero linguam, qua Deum ſibi loquentem toties audiebat, oblivioni tradi pateretur, nec ad poſteros propagaret? Nonne multo magis credibile eum maximo quodam voluptatis ſenſu mente animoque repetiiſſe, & inculcaſſe filio eadem illa

verba

verba, quæ ex Dei ore acceperat, & quibus tot promissiones divinæ continebantur? Abraham inter Cananæos sepeliri noluit, sed proprium sibi comparavit monumentum, ne mortuus inter eos conquiesceret, à quorum impietate vivus abhorruerat. Id solicite cavit, servo etiam, quem rei familiari præfecerat, ad solenne jusjurandum adacto, ne filius uxorem Chananiticam duceret, & familia veri Dei cultui addicta Cananæo sanguine contaminaretur. Nihil Isaaco & Rebeccæ acerbius videbatur, quam quod Esavus Chittæas sibi matrimonio junxisset. Rebeccam vitæ tædebat, quod ex filii indigno parentibus conjugio gravissimum dolorem caperet, unde gaudium & levamen senectutis accipere par erat. Quibus ex omnibus facile judicari potest, utrum ipsi Patriarchæ in gratiam Cananææ gentis linguam à majoribus acceptam abdicarint. Quod si quis autem velit asserere, id demum à posteris factum, facile, etiam me tacente veritas se ipsa defendet. Mose vivente id fieri sane non potuit. Etenim nunquam ille passus esset sermonis genus à majoribus traditum abrogari. Tum vero nec trajecit Jordanem, sed ex Dei voluntate diem supremum obiit, antequam Israelitæ Cananæos delerent, satisque habuit, procul è monte spectasse terram, quam ut intraret, nullis precibus impetrare potuerat. Nam in Cananæis debellandis Josuam ducem, non Mosen habuere. Quod qui non cogitaverit modo, sed & recte expenderit, nihil tale de Mosis temporibus suspicabitur. Atqui Pentateuchus à Mose eadem lingua conscriptus exstat, qua reliqui Veteris Instrumenti Scriptores usi sunt. Igitur nec victis Cananæis Judæi Cananæorum linguam ascivere. Quæro, utrum Moses Cananæa, an patribus usitata lingua, res à conditu orbis ad suam usque ætatem gestas literarum monu-

mentis consignarit? Si Cananæa, non demum Cananæorum regionibus in potestatem Israelitarum redactis, illa antiqui sermonis mutatio contigit. Sin antiquissima illa, quæ majoribus in usu fuit, non hæc Cananæorum lingua dici poterit, quæ ne prorsus interiret, Divina Veteris Instrumenti volumina obstitere. Porro vocabulum Elohim in augustissimo Mosis opere maximo numero occurrit. Primo statim primi capitis commate reperitur. Quomodo igitur Israelitæ hanc de Deo in plurali numero loquendi rationem à Cananæis, inter quos nondum vivebant, didicere? Jam & ætate Josuæ aviti sermonis mutatio fieri non potuit. Eam non permisisset Josua, nec reliqui, quorum præcipua in populo auctoritas. Josua rebus humanis erepto, prohibuissent Prophetæ, ne Cananæa lingua inter Israelitas invalesceret. Minimum vitio temporum vel perversa rerum novarum cupiditate irrepentem Sacris concionibus castigassent. Angelus Dei, (qui & ipse Deus) gravissime reprehendit Israelitas, quod dicto sibi non fuerint audientes, quod præpostera quadem dementia pepercerint hostibus, nec Cananæos prorsus expulerint. *Et ascendit Angelus Jehova ex Gilgal ad Bochim: dixitque. Ascendere feci vos ex Ægypto & adduxi vos ad terram quam jurato promisi patribus vestris: ac dixi, non irritum faciam fœdus meum vobiscum in æternum. Vos autem ne ferite fœdus cum habitatoribus terræ hujus, altaria eorum destruite, sed non obediviſtis voci meæ: quare hoc feciſtis? Ideo etiam dixi; non expellam eos coram vobis, unde erunt vobis in Spinas, & dii eorum erunt vobis in laqueum.* Jud. ii. 1, 2, 3. Zephanias acerrime Dei nomine objurgat Judæos, qui levitatem animi peregrinis vestibus testabantur. *Fiet autem in die Sacrificii Jehovæ visitabo super Principes & super filios Regis, & super omnes indutos indumento alienigenæ,*

nigenæ, Zeph. i. 8. Non igitur Judæis Cananæorum linguam pro ſua aſciſcentibus tacuiſſent Prophetæ ſed conatui peſſimo ſummis viribus repugnaſſent. De Nehemia memoriæ proditum eſt, quod in Judæos, quorum filii Aſdodæam non autem patriam linguam callebant, pio zelo ita exarſerit, ut non verbis modo, ſed & verberibus indignum populo Iſraelitico morem vindicarit, *Filii eorum quædam loquebantur Aſhdodice & non noverant loqui Judaice, & ſi juxta linguam cujuſque populi. Quare contendi cum eis & maledixi eis & percuſſi, & pilos iis evulſi adiuravique:* c. xiii. 25, 26. Quod iterum eo facit, ut intelligatur, ſanctiſſimos Viros invehendæ in populum Iſraeliticum Cananææ linguæ ſilentio ſuo occaſionem daturos minime fuiſſe.

X. Quod ſi vero res omnino ita ſe habet, ut *Auctor Judicii* exiſtimat, Hebræos vocabulum Elohim a Cananæis accepiſſe, quam quæſo hujus rei cauſam habuere? Qui non ſummum & æternum Numen ſed quamplurima ficta Numina venerabantur, illi vocabulo vel unum aliquem Deorum, vel junctim complures deſignarunt. Si poſterius dixeris, non hoc ex Gentilium conſuetudine Abraham, non aliquibus veri Dei cultus curæ cordique erat habuerunt, quod Deum plurali vocabulo Elohim appellavere. Finge enim, cum Cananæorum aliquo ſermones contuliſſe; Cananæus non potuit recte de rebus divinis ſentientium mentem aſſequi, ſi quo caſu nomine Elohim uterentur. Nam Cananæus quidem de pluribus, illi autem de uno & vero Deo accipiebant. " Sin prius aſſerueris, ruet A. J. pronunciatum, le " Hebreux qui ſe ſont ſervis de la langue, qu'il " avoient appriſe dans la Paleſtine, n'ont fait autre " choſe, que joindre à ce mot un verbe ſingulier, & " NB. lui donner une ſignification ſinguliere. Tum

enim non Iſraelitæ demum, ſed jam ante illos Ethnici, quos Iſraelitæ imitati ſunt, vocem hanc ſingularis numeri ſignificatione extulerunt. Ita novis ſubinde dubiis *Auctoris* ſententia involvetur, nec minus ipſa ſecum, quam cum noſtratibus pugnabit. Sed ut magis vis argumenti hujus appareat, iterum quærere liceat, quid commodi utilitatiſque Iſraelitæ & ſpeciatim Scriptores ſacri ex imitatione Ethnicæ phraſeos (ex hypotheſi loquor) acceperint? Quando humano more de rebus ad ſalutem noſtram pertinentibus loquuntur, id juſtiſſimis grauiſſimiſque cauſis permoti faciunt, ut ſcilicet imbecillitati noſtræ ſuccurrant, & ad rerum maximarum cognitionem eo facilius nos perducant. Hic ſimilis fructus expectari non poterat. Si vocabulum אלהים nihil prorſus myſterii habet, ſi ſolum ex conſuetudine, quæ Hebræis cum Cananæa gente intercedebat, illis hæſit, magis ſtabiliendo gentilium errori, quam convellendo conduxit. Ita enim fieri aſſolet, ubi verbis ad illos accedimus, à quibus in re ipſa diſſentimus.

XI. Nondum mihi relinquendus eſt A. J. Iterum expendi merentur, quæ modo adduxi verba. "Les "Hebreux n'ont fait autre choſe, que joindre à ce "mot un verbe ſingulier, & luy donner une ſigni"fication ſinguliere. Id ſane negari non poteſt, quod ſingularis numeri verbum ſæpiſſime cum vocabulo Elohim conjungatur. Luculento teſtimonio phraſis eſt בראשית ברא אלהים, in qua tot Summi Viri operam laude digniſſimam poſuerunt. Quod myſterio non vacat, ut inter alios Gieſſenſes Theologi Tom. 1, Diſp. 8, eleganter docent. Neque illud negavero, quod interdum ſingulæ perſonæ divinæ Elohim dicantur, qua de re Jacobus Martini, Academiæ Vitembergenſis celebris olim Doctor, &

Coc-

Coccejus in Lexico p. 36, videantur. Hæc enim mihi explicanda non ſumo, ſed Divinioris ſcientiæ Magiſtris, ut par eſt, relinquo. Illi etiam (quod obiter noto) accurate tradunt, (v. Martini de Tribus Elohim Lib. 1, c. 5, f.) quibus de cauſis Elohim per vocem *Dii* ubi de Summo Nomine agitur, non transferamus. Mihi cum auctore Judicii res eſt. Sane אלהים ſemper cum verbo ſingularis numeri conjungi, A. J. non aſſeret, unde & prorſus ſignificatu ſingulare vocabulum eſſe dici non poteſt. Adduxiſſe aliqua exempla forſan non pœnitebit. *Gen.* xx. 13. *Factum vero eſt, cum* (התעו) *diſcedere me facerent Elohim.* *C.* xxxv. 7. *Quod ibi* (נגלו) *revelati illi eſſent Elohim.* Deut. v. 26. *Quiſnam* (de) *omni carne* (eſt), *qui audiat vocem Elohim* (חיים) *vivorum.* Joſ. xxiv. 19. *Non poteritis ſervire Jehovæ, quia Elohim* (קדושים) *Sancti Ille* (eſt). II Sam. vii. 20. *Quis ſicut populus tuus, ſicut Iſrael, populus ullus in terra ad quem redimendum ſibi in populum,* &c. (הלכו אלהים) *iverunt Elohim.* Pſ. lviii. 12. *Utique eſt Elohim* (שפטים) *Judices in terra.* *Conf.* Jer. x. 10, Jer. xxiii. 26, Deut. iv. 7, *quæ magna enim gens, cui Elohim* (קרובים) *propinqui apud ipſum ſicut Jehovah Elohenu,* &c. Hæc ad conſuetudinem Cananæorum non niſi violenter & quaſi obtorto collo abripientur. Nulla igitur ratio eſt, cur illi, de quo jam controverſamur, vocabulo pluralis ſignificatio denegetur.

XII. Non autem אלהים ſolum in plurali numero de Deo adhibetur. Adſunt alii ſimiles loquendi modi, quos omnes ex Cananæa impietate ad Hebræos deductos atque derivatos nulla veri ſpecie dixeris. Nimis ſane durum coactumque foret id aſſerere de eo quod *Gen.* i. 26, habetur. *Et dixit Elohim* (נעשה) *Faciamus hominem* (בצלמנו כדמותנו) *in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram.* *De* Eccl. xii. 1.

Re-

Recordare (בוראיך) *Creatorum tuorum. De* Pſ. 149. 2. *Lætetur Iſrael* (בעשיו) *in Factoribus ſuis. De* Jobi *c.* 35. 10. *Ubi* (eſt) *Eloah* (עשי) *Factores mei. De* Gen. *c.* xi. 6. *Age* (נרדה) *deſcendamus* (ונבלה) *& confundamus ibi labia. De* Hoſ. xii. 1, *& cum* (קדושים) *Sanctis fidelis. De* Eſ. 42. 5. (ונוטי הם) *& expandentes illos*, & de aliis quamplurimis phraſibus, quas exquiſitis rationibus in præſens confirmare opus non eſt, ſed allegaſſe ſufficit. Et quis unquam Ethnicorum Deorum aliquem verbi gratia Jovem ita ſe cum ipſo ſine ullo reſpectu ad alium loquentem introduxit? *Ecce ille ſicut unus ex nobis, vid.* Gen. iii. 22. Nuſquam ſane ſimilem orationem reperias, quam ſiquis auctorum Jovi tribuiſſet, nonne vel prorſus infans & dicendi imperitus, vel abſurde ineptus videretur?

XIII. Auctor Judicii ſententiam de antiquitate Hebrææ linguæ confutaturus ita argumentatur. *Il n'y a pas d'apparence, que ſi cette langue s'etoit conſervée depuis Adam, luy ou les premiers Patriarches ayant un nom ſingulier de la Divinité, ſe fuſſent aviſez de luy en donner un pluriel, dans un temps, on ils etoient entiérement perſuadez de l'unité d'un Dieu.* Quid obſtat quominus hæc in rem meam convertam, & adverſarium armis ab ipſo petitis oppugnem? Scriptores ſacri firmiter immoteque credebant, unum eſſe Deum, cujus imperio omnia regerentur. Habebant illi ſingularis numeri vocabulum אלוה, quo etiam non raro utebantur. Quid opus erat imitari Cananæos, homines Barbaros, & ſancti cultus ignaros? Quid opus erat, Cananæorum more Deum numeri pluralis vocabulo enuntiare. Graviorem hujus rei cauſam habuiſſe neceſſe eſt. Nimirum myſterium ſuberat, quod humanum intellectum tranſgreditur, quod ſola ſacra pagina edocet, quod ab omnibus, qui Chriſtianam religionem amplectuntur, ſincere conſtanterque credi omnino par eſt.

XIV.

XIV. Gentium Doctor Paulus in ſingularis numeri vocabulo invenit, quo religionis Chriſtianæ veritatem egregie confirmaret. Τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐῤῥέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, οὐ λέγει καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός καὶ τῷ σπέρματί σου ὅς ἐστι χριστός Gal. iii. 16. Nam & in una ſcripturæ vocula maximos ſcientiæ theſauros reperire licet, nec hic, ut in fodinis, aurum eſt terræ commixtum, ſed purum & defœcatum. Cur igitur in ipſo Dei nomine accuratius conſiderando atque perpendendo Pauli veſtigiis non inſiſtamus? Quid ejus originem à gentilibus arceſſimus, cujus rei nullam mentionem Divinior ſcriptura facit? Cur non potius id ſequimur, quod nos ſalutaris doctrinæ ratio admonet, & ſcriptores Divinitus excitati planum faciunt, & prorſus confirmant?

XV. Res tam clara eſt atque luculenta, ut non pauci celeberrimi Judæorum Magiſtri utique myſterium in voce Elohim quærendum cenſeant. Quod ſane non facerent, ſi cum A. J. primam ejus originem ad Gentiles referrent. Non allegabo cuncta, quibus A. J. urgeri poſſet, teſtimonia: ſed pauca quædam quaſi in exemplum producam. Primus omnino locus debetur libro Sohar, cujus auctoritas plurimum inter Judæos valet. Verba ſic habent in Geneſin f. 1, c. 2, lin. 11, Edit. Cremon. יחוה אלהינו יהוה אלין תלת דרגין לקבל רוא דא עלאה בראשית ברא אלהים Ib. f. 20, col. 3. f. חאי רבחיב אשר לו אלהים קרובים אליו קרוב מבעי ליה אלא אלהים עלאה אלהים דפחד יצחק אלהים בתראה ובגיני כך קרובים וכולי Porro & Bechai in Geneſin fol. 4, col. 1, f. Edit. Ven. ita commentatus eſt. וע' דרך הקבלה השם הזה שתי מלות אל דם והנה הנה פי' היוד וזכר את בורא ך Sic in Abhodath hakkodeſch Ed. Crac. non tantum f. 11, c. 2. integre

gre repetita videas, quæ modo ex Sohare in Gen. fol. 20. adducta ſunt; verum etiam fol. 10, col. 4, in. & Gen. f. 15, c. 2, l. 8, a. f. duplex illuſtre teſtimonium reperias, fol. 10mo nimirum נקראו הפנים חמאירים אלהים כלומר אלי הם f. 15. autem: הרבוי שמורה שם אלהים Cum quibus ſapientiſſimus Judæorum Magiſter Aben Ezra conferendus eſt. כי לא ימצא לשון רבים עם השם הנבבד רק על שם אלהים לסוד עמוק ad Pſ. 11. ult. Quid clarius, quid luculentius contra A. J. dici poterat? Quod ſi vero tanta vis veritatis eſt, ut ipſi Judæi, infenſiſſimi Chriſtianæ religionis hoſtes in vocabulo Elohim myſterium quærendum non modo non negent, verum etiam publice & aperte fateantur; noſne, qui Chriſtianam religionem profitemur, hoc nomen Divinum non tantum carere myſterio, ſed & à Gentilium non minus abſurdo quam impio errore traductum ád Ebræos atque derivatum ſtatuemus?

S. D. G.

FINIS.

TRINITY COLLEGE LIBRARY CAMBRIDGE